minorem habebant efficiendi vim, ut audirentur, atque intelligerentur. Sed quænam eſſet voluptas videre quid interim dominus ageret? qua ſuavitate hanc mœrore confectam exciperet; quo miſerationis ſenſu lacrimas illas decidentes intueretur; qua bonitate illius cauſſam ageret adverſum ſuperbum Phariſæum; qua clementia illam certam faceret veniæ peccatorum ipſius, & quo tandem gaudio illam in pace dimiſerit poſtquam publicum edidiſſet magnitudinis amoris ejuſdem teſtimonium? Sed quod aggredi fortaſſe uſus non eſt S. Lucas, ſperandum non eſt hoc ab alio quocumque perfici poſſe. *Sermo Manuſcriptus*.

Miſer Magdalenæ ſtatus ante converſionẽ ſuam, & vita infidina quã agebat.

Per vos mihi liceat exhibere vobis miſerum ſtatum, in quo Magdalena ante pœnitentiam ſuam verſabatur. Hæc nobilis erat puella, in ipſo ætatis flore, omnibus naturæ bonis prædita, quæ in tot peccati illecebras converterat, ac tot valida adminicula ut ſuum in corde ſtatueret imperium. Indoles, ingeniumque ejus, quæ vim pati non poterant, illam mox in flagitiorum abyſſum dedere præcipitem; ita ut omnem abjecerit pudorem, ad verecundiam, quæ puellarum ora ſuffundit. Oculi non aperiebantur, niſi ut inſidias tenderet illis, a quibus videbatur; non loquebatur lingua niſi ut per aures in corda virus immitteret; denique facies, indumenta, oris habitus, corpus denique totum palam ferebant indicia eorum criminum, propter quæ in Evangelio peccatricis nomen illi tribuitur: *Erat mulier in civitate peccatrix*. (*Luc*. 7.) Quodnam peccatum ejus fuerit, reticetur, ſed de hoc judicium ferendum eſt ex ipſa perſona, de qua ſermo eſt, atque inde inferendum, noxam illius non aliam fuiſſe præter eam, quæ ſexum illum ſummo afficit dedecore, cujus gloria & pars pudor eſt, & verecundia. Sed virtutis hujus ſenſus omnes Magdalena ita jugulaverat, ut inter eas, quæ in ipſa civitatis luce vivebant, peccatrix appellaretur: *Mulier in civitate peccatrix*. (*Chryſolog. Serm*. 95.) Erat illa, ut S. Chryſologus explicat, urbis totius a qua peccatrix vocabatur ſcandalum, perinde ac ipſa cauſſa fuiſſet malorum omnium, qui ibi patrabantur. Ego quidem, fateor, ægre animum inducere poſſum, ut nobilis puella, cujus impudicitia labem intuliſſet totius magnæ, ac illuſtris familiæ nomini, eo evaſerit impudentiæ, ut ſeſe publicæ proſtitueret infamiæ. Crederem potius magna illius flagitia potius latuiſſe; ſed licentiam, nugas amatorias, feſtivam indolem, & facilem cum quovis conſuetudinem effeciſſe illam Dæmonis laqueum, & peccatricem fuiſſe nuncupatam, quia nihil in ipſa erat, quod ad peccatum minime alliceret; oculi obtutibus, facies affectata elegantia, lingua verbis parum verecundis, crines cincinnis, & calamiſtris, indumenta ſumptu, & denique quidquid in Magdalena videbatur, immodeſtiam redolebat, ac gerebat characterem nequitiæ peculiarem. Hæc quadam prærogativæ ſpecie peccatrix erat, quæ aliis Jeroſolymæ peccatricibus eminebat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Dei Filius, qui videbat interius quomodo affecta eſſet Magdalena, animæ ejuſdem vulnera curans, nequaquam dicit, quid illis, quorum corporis morbos ſanabat, dicere conſueverat: *Noli amplius peccare*. Jam ſanus factus es, cave, ne pecces ulterius; noverat enim pœnitentiam illius æque conſtantem futuram, ac erat ſincera. Verum ne putetis ideo hoc nullis ſtetiſſe ſumptibus Magdalenæ, vel illam nullam ingenio, affectionibus ſuis vim facere debuiſſe. Experta eſt, quidquid acerbiſſimum eſt in earum rerum ſeparatione, quibus arctius forti habitu inhæremus; agnovit vim ſibimet inferendam ad infringenda criminoſa vincula, quibus peccator alligatus eſt, & ad interdicendum ſibi quidquid in ſocietatibus, aliiſque ſolatiis ſuaviſſimum, atque acceptiſſimum eſt. Fatendum eſt enim nequaquam idem eſſe aliquot dies peccata ſua flere, & illis omnino abrenuntiare. S. Auguſtinus Dei manu permotus, ſentiebat cor ſuum optimis repletum ſenſibus, ac deſideriis, plorabat etiam, & ſingultus emittebat, ſed hæc omnia nequaquam operabantur mutationem morum, quam Deus ab illo expectabat; plorabat ſolum præterita flagitia, verum animum inducere non poterat, ut in poſterum vitæ rationem immutaret. Longe aliter Magdalenæ accidit, ploravit peccata, eaque eodem momento reliquit, & ſicuti gratiæ operatio fuit in illa, quam in Auguſtino celerior; ex eodem momento quo recepit criminum ſuorum veniam, non fuit amplius illa peccatrix, illud ſuarum cupiditatum mancipium, puella illa in luxu, & mollitie abdita, quæ totius civitatis ſcandalum erat. Omnibus nuntium miſit, ludo, ſolatiis, converſationibus, neceſſitudinibus, voluptatibus: ipſam etiam harum rerum memoriam conſervavit, ut eſſet cauſſa propter quam reliquo dierum ſuorum ſpatio ploraret, ita ut amor Dei, qui integram adiit cordis ſui poſſeſſionem, ibi omnem abſumpſit affectum, qui in ea reliquus erat pro mundo, ejuſque nugis, quibus antea prorſus erat occupata. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Nullæ ſunt ſordes, quæ veræ pœnitentiæ lacrimis non eluantur; idcoque prima penitentiæ pars eſt dolor cordis veri, & ſinceri.

Cor tandiu dæmoni devotum, quale cor erat Magdalenæ procul dubio par non erat, ut ex eo fieret Templum Spiritus Sancti, ac difficile erat, quod expiaretur, poſtquam tot tantiſque abominationibus pollutum fuerat; Sed ſinceri doloris lacrimæ fuerunt baptiſmus, quo illa ab omni emundata fuit labe, quin vel minima præteritarum ſordium macula remaneret; ut intelligeremus nihil eſſe, quod lacrimis ablui nequeat, modo ex corde vere contrito proficiſcantur. Prima enim pœnitentiæ pars eſt, dolor ſincerus, quem Scriptura cordis dolorem appellat: *Scindite corda veſtra, & revertimini ad me in toto corde veſtro*. (*Joel*. 2.) Alioquin deficit ex parte, quæ neceſſaria eſt, & non admittitur a Deo, qui intuetur cor, & qui nequaquam ſpecie decipitur ſicut homines. In id nobis potiſſimum incumbendum eſt, cum peccatorum agimus pœnitentiam; hæc enim eſt velut anima pœnitentiæ, quæ ſi deſit, cetera pro nihilo reputantur. Malum hoc eſt, lacrimas plerumque æquivocum eſſe ſignum veri doloris, quem Deus a peccatore requirit; opus eſt, ut habeant pro cauſſa Deum læſum & pro objecto peccatum, alioquin ſteriles ſunt, ac inutiles. Hic dolor eſt Eſau, & Antiochi, quorum alter nullum in pœnitentia ſua invenit perfugium, ut S. Paulus ait: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrimis inquiſiſſet eam*, (*Ad Hebr*. 19.) alter vero a Deo fuit repulſus, quamquam humiliatus videretur, & præclaras Deo promiſſiones offerret, *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. (3. *Machab*. 9. 13.) *Idem in Quadrageſ.*

Quantum poſſint pœnicentium lacrimæ apud Deum, & virtus lacrimarum Magdalenę.

Dixerat jam Regius Propheta, Deum non deſpicere cor contritum & humiliatum, & veritas ipſa affirmat, lacrimas peccatoris ad Deum revertentis per ſinceram pœnitentiam, parere novum lætitiæ incrementum Sanctis in ipſo etiam deliciarum omnium habitaculo. Ita dicere poſſumus, Cælum ſpectare lacrimas pœnitentis peccata ſua plorantis, non ſine hilaritatis, lætitiæque ſenſu, ac videri, nihil in oculis Dei eſſe jucundius. Philoſophi lacrimas ſpectarunt tanquam primum naturæ ſolatium in omnibus vitæ hujus ærumnis paratum, nulla enim ærumna eſt, quam illæ non mulceant, & ipſa rerum experientia docemur, graviſſimos etiam mœrores earum ope leniri, & quandoque etiam diſſipari. Sed longiſſime aliud eorum in gratia pretium eſſe fatendum eſt, uſumque alium, quandoquidem peccata noſtra abluunt, atque ut S. Chryſologus Serm. 107. inquit; *lacrimæ peccata baptizant*. Hinc proficiſcuntur præclara elogia, quibus Sancti Patres pœnitentiæ lacrimas celebrarunt ad innuendam poteſtatem quam habent flectendi Deum, & peccatorum noſtrorum veniam obtinendi, eo uſque, ut non dubitaverint illas, *Innocentiæ portum, & naufragium peccatorum* vocare. (*Chryſoſt. homil. de pœnit.*) Ad beatum hunc portum Magdalena confugit poſt naufragium: lacrimæ innocentiam illius reparaverunt, & copia aquarum ſuarum iniquitates illius ſubmerſerunt. Ita ſicuti oculi ejus fuerant præcipua criminum ejuſdem inſtrumenta, facti ſunt illorum medicina. Illa impuri amoris flamma in cor penetraverat, inde etiam affluant aquæ ad eam extinguendam: per oculos hauſit, immiſitque aliis hoc virus, ex oculis ipſis antidotum petit; & oculi ipſi, qui antea ignem dumtaxat ſpirabant, facti ſunt fons lacrimarum omnino peccata illius eluentium. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in Quadrageſima*.

Dubitare nefas eſt quominus Magdalenæ dolor violentus extiterit, habuit enim vim, tot tantaque peccata delendi; *Remittuntur ei peccata multa*; tot noxias cogitationes, tot immodeſtos oculorum conjectus, tot ſcandala publica, tot turpes impudicitias doloris magnitudo obliteravit, quin labes, vel ullum remaneret veſtigium. Ita dolor iſte immenſus eſt, & in omnem ejus vitam extenditur, cujus ſingula dolet momenta in luxu, vanitate, impuritate anteacta. Videt peccata ſua ſupra numerum capillorum capitis ſui patrata, ut inquit Propheta, doloremque ſuum ex multitudine illorum metitur: *Conſideravit quid fecerat, & noluit moderari quod faceret*, S. Gregorius Magnus inquit. Revocat illa in mentem, ut execretur ea, oculique ejus fiunt duo fontes lacrimarum, quæ dolorem illorum oſtendunt: Cumque ea crimina ejus generis eſſent, cui nomen impuritatis tribuitur, quod criminum omnium eſſe deberet commune; quænam vobis videtur fuiſſe vis doloris illius, ut abluerentur, delerentur, & omnino deſtruerentur peccata, quæ maxime cordi illius inhærebant, & quæ ibi diuturno habitu profundas radices jecerant? *Idem ibidem*.

Pœnitentiæ lacrimæ omnes eluunt ſordes animæ firmius inhærentes.

Verum eſt, peccatis ineſſe quoſdam nigrores, non ita facile obliterandos, habitus eorum quamdam habere characteris ſpeciem, quæ plerumque nonniſi cum vita deletur; & ſicuti maculæ, quibus ineſt acrimonia, pervadunt ita ſubjectum, cui inhærent, ut ibi relinquant ſordes nunquam obliterandas; ita peccatum quoſdam habet acrores, a quibus in anima relinquitur fons corruptionis fere nunquam ſatis detergendæ, aut abradendæ. Sed lacrimis veræ pœnitentiæ tantum virtutis ineſt, ut omnem eluant maculam, quin ſordes ullæ remaneant. Sunt alter baptiſmus, quo omnia peccata licet gravia, & enormia abluuntur; ſunt, ut quidam S. Pater inquit, veluti torrentes, qui de alto montium vertice decurrunt præcipites, & ſecum auferunt omnes locorum, qua tranſeunt, quiſquilias, & purgamenta, nihilque in via relinquunt, quod vel ſecum non trahant, vel non eluant. Hoc præſtant lacrimæ violenti, verique doloris; ſimul ac peccatorum noſtrorum pœnitentia illas elicit, non relinquunt ullas in conſcientia ſordes; ſimul ac per ſupremæ læſæ majeſtatis conſiderationem dilabuntur, omnes abſtergunt maculas, & ſunt veluti generalis omnium ſcelerum noſtrorum baptiſmus. *Idem*.

Præcipuæ circumſtantiæ quæ inſignem reddunt Magdalenæ pœnitentiam.

Magdalenæ pœnitentia publica fuit, & manifeſta. *In domo Phariſæi*. Illic voluit ſeſe ipſam illi devovere. Non expectavit donec J. C. in domum ſuam ſe reciperet ut tuto conveniret illum, vel Joſeph ab Arimathæa, qui palam eum ſequi non auſus eſt propter Judæorum timorem. Domum elegit omnibus patentem, horam convivii, quo convivæ omnes erant ſimul venturi, quæ occaſio maxime videbatur aliena a ſuſcepto conſilio: voluit, ut prolatio ſua ante oculos totius

totius civitatis niteſceret ut jam omnibus perſpectum eſſet, quænam jam eſſet: voluit palam ſe profiteri, atque nobili facto novum vitæ genus amplecti. Alto pudore ſuffuſa, eo quod propter ſcelus omnia totius civitatis probra pertulerat: hodierna die propter virtutem ſuſtinere vult contemptum, & irriſiones, quas poſt adeo mirabilem vitæ mutationem ab hominibus præſtolatur. De ſuis gloriata eſt criminibus; gratia quo ordinem hunc immutavit; ſe Dei tantum eſſe gloriatur. Quocumque in loco Salvatorem reperiat, jam certa conſilii eſt, ad illius pedes ruendi, ac ſuam converſionem palam oſtendendi licet in foro, ipſaque civitatis platea illum nanciſceretur. Mundi oculos non veretur, immo eos quærit. Ingreditur Simonis Phariſæi domum, quin ab ullo agnoſcatur, & quin loquatur cum aliquo. In convivalem aulam irrepit, per ipſam populi turbam ſibi viam facit, atque in hominum cœtu illum dignoſcit, quem quærit. Non excuſat illa adventus ſui importunitatem, non diſponit animos ad probandum hoc factum, denique unice Salvatoris amore occupata omnino quidvis aliud contemnit. *P. Cheminais*.

Aliæ circumſtantiæ.

Lacrimis cæpit rigare pedes ejus. Luc. 7. Magdalena oculos ſuos polluerat nimium libero oculorum uſu, atque venenatis obtutibus, qui integerrimas etiam animas corrumpebant, indigne proſtituerat lacrimas amori, iracundiæ, zelotypiæ; nunc vero ſua expiat crimina earumdem lacrimarum ſacrificio. Oculi ejus inhærentes pedibus Salvatoris, & clauſi in æternum profanis objectis earum torrentes effundunt. Hæ non ſunt aliquæ lacrimulæ, quæ vix ab oculis manant; ſed tanta eſt earum copia, ut abluendis Jeſu Chriſti pedibus ſufficiant. *Et Capillis capitis ſui tergebat*. Solvit ſimul capitis comam, eaque perturbata, & confuſa abſtergit pedes Filii Dei. Horret & execratur vanitatem ornatuum ſuorum, quos antea afflictim adamaverat; illos ultra pati nequit, quemadmodum S. Hieronymus ait de illuſtri quadam ævi ſui pœnitente, odit ipſos etiam ornatus, ac decorem vultus, quæ aliis, quam Dei oculis placere potuerant. *Et oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Sanctis oſculis expiat licentiam, quam antea ſibi uſurpaverat, large effundit unguenta, quibus ante abuti conſueverat. Nihil eſt quo ad peccatum abuſa fuerit, quod non fiat illi pœnitentiæ inſtrumentum. Sancto doloris exceſſu reparat illos impudicitiæ exceſſus, quos profanus amor ſuadet; neque vim habet verbum proferendi, ut Salvatoris clementiam deprecetur. Sed quid illa dicere potuiſſet, quod cum eo, quod agebat conferri poſſet? Verba factis quidnam adjicere poterant? Oculi vocis officio fungebantur. Adeſt ſermo quidam ex corde profectus, qui non auditur a mundo, ſed auditur, & exauditur a Deo. *Idem*.

Magdalenæ ſenſus poſt converſionem.

Si mihi fas eſset ſcrutari ſecretos Magdalenæ receſsus, eorumque enucleare myſteria, quoſnam ſibi invicem catervatim ſuccedentes ſibi ſenſus confuſionis, pœnitentiæ, obſervantiæ, amoris intuerer! Quem præterit evagationis horrorem, quam ſanctum ſui ipſius odium, quos amoris, gratique animi impetus in Deum, quas æternæ fidei promiſſiones, quas anteactæ vitæ palinodias, quot ſacrificia earum rerum quas impenſius dilexerat, quot dolores, eo quod profanos cultus, divinitatis vocabula, omnia impiæ obſervantiæ ſigna admiſerat, quibus ſuam vanitatem, atque ſuperbiam aluerat! Centies animo ſecum reputavit omnes vitæ ſuæ annos in amaritudine animæ ſuæ, centies adoleſcentiæ ſuæ flagitia lacrimis eluit. Tunc profanos amaſios aliis conſpexit oculis; quo magis ipſi dilectione digni viſi fuerant, eo magis odio digni eſse videntur; beatior, votique ſui magis compos futura, ſi illos videre potuiſset ad J. C. pedes & ipſos ſocias lacrimas effundere, quos vanæ pulcritudinis cultores ad pedes ſuos provolutos thus uni Deo debitum ſibi adolere conſpexerat. Quid non feciſset, ut ad optimam Paſtorem has deerrantes oves reduceret, quæ fortaſse ipſius cauſſa perierant? Dubitandum non eſt, quominus os illius Salvatoris pedibus inhærens pro eorum ſalute laboraverit; ſummo dolore confecta, quod minime poſset convertere ad Deum corda, quæ ipſa in ſui amorem pellexerat, nullum nanciſci valuit ſolatium videns Deum ab hominibus non amari tantum, quantum ipſa ab illis fuerat amata. *Idem*.

Diſcrimen inter ſenſus Magdalenæ converſæ & eos, quos ante cõverſionẽ foverat.

Quodnam inter Magdalenam, & Magdalenam diſcrimen! quæ inter utriuſque ſenſus diſparitas! Quæ inæqualitas inter peccatricem hanc ſemper divinæ juſtitiæ monitis rebellem, & hanc pœnitentem modo graviſſimis ejuſdem pœnis adeo ſubmiſſam! Inter ſpiritum hunc perdite mundi placita conſectantem, & hunc adeo docilem Spiritum Evangelicis documentis? In hoc præcipuum Pœnitentiæ fundamentum conſtituo: In hac ſenſuum inverſione, in hac ſpiritus mutatione. Ne putes quamdam zeli, aut nimis arctæ morum diſciplinæ hyperbolem eſſe propoſitionem, quam affero: pura pura veritas eſt, & omnino ſimplex. In pœnitentiæ ſtatu neceſſe eſt cogitare, judicare, ratiocinari de rebus aliter prorſus, ac in peccati ſtatu fieret. Etenim poſtquam pœnitentiæ ſtatum ingreſſus es, adhuc habes in pretio hominum judicia, eaque tibi ſequenda eſſe ducis; ſi mente retines ſenſus iis oppoſitos, qui in corde habendi, & in vita exercendi ſunt, nunquam vere converteris: quomodo vitam tuam conformare poteris huic reformationis, & converſionis conſilio, cum ſpiritus tuus immutatus non erit? *Auctor Recens*.

Celeritas converſionis Magdalenæ contra aliorum dilationem.

Hæc una eſt ex circumſtantiis converſionis Magdalenæ, quæ oſtendit magnitudinem amoris ejuſdem, & quæ eo ſpectabilior eſt, quia ſatis communis eſt obex, quem pœnitentiæ ſuæ peccatores opponunt; cum illam impedire nequeunt, differunt, nectuntque moras: nihil urget, inquiunt; alias hoc præſtabimus. Hic cunctationis ſpiritus apud Fideles adeo communis ex tribus oritur cauſſis. 1. Quia lente, ac ſerius, quam fieri poſſit, ea facimus, quæ nobis accidunt moleſta; cumque peccatis extremum vale nonniſi ægre, gravateque dicatur, hoc pro virili differtur. 2. Speramus nos hac dilatione leviores in converſione obices eſſe inventuros; ſenſuſque noſtros nequaquam ita acres futuros. 3. Tempus lucrari nobis videmur, ac interim dum pœnitentia differtur, fruimur voluptate vitiorum, quæ ſunt relinquenda. Funeſta dilatio, quæ tot damnat fideles, prohibens ne a ſceleribus ſuis divellantur, & agant pœnitentiam! Hoc non fuit Magdalenæ crimen; vis amoris, quo agitur, moram, & cunctationem non patitur. Profecto non ſatis conſtat, quamdiu ſuam converſionem diſtulerit, ſed facile judicari poteſt, celerem extitiſſe converſionem illius, cum propter amoris magnitudinem, tum propter effectus, quos illico peperit.

Magdalena reparat ſcãdalum, quod pepererat.

Peccata Scandali ſunt pernicioſa, quia præbet aliis peccator exempla: quod mali genus a Magdalena fuit reparandum. Peccatrix erat ob vitam nefarie tranſactam toti cognita civitati; ſed *dilexit*, & deinceps quantum Mundo hactenus deſervierat, tantum Salvatori ſuo voluit famulari. Non quæſivit illa quomodo clanculum cum eo loqueretur; hoc enim in confertiſſima turba, in frequenti cœtu facere voluit. Non verita eſt, quænam eſſent futura de ſe hominum dicteria; e contra voluit, ut rumor ubicumque percrebreſceret. Prævidit, quænam in ſe conflarent hominum probra, & irriſiones; & hoc immo in cauſſa fuit, ut palam, & in omnium oculis ſuam perageret mutationem. Quorſum? Ut per patientiam ſuam Deum glorificaret, quantum per ſcelus ſuum eumdem dedecore affecerat; ut per converſionem ſuam Deo tot animas lucraretur, quot per licentiam perdiderat; ut majori ſuffunderetur rubore, ac melius ſe hac ipſa confuſione puniret, ob omnes laudes, & cultus, quibus antea ſibi delatis fuerat oblectata. Ideo ingreditur Simonis Phariſæi domum ſancta audacia repleta. Non puduerat illam, ubi cupiditatibus ſuis ſibi erat ſatisfaciendum, neque modo ipſam pudet, cum facienda illi eſt ſollemnis reparatio Deo, quem ſummopere diligit. Viſa fuerat in cætibus dominari, nunc in ſupplicis forma, & habitu videri vult. Teſtes fuerant homines ejus curæ, qua tandiu cincinnis, & calamiſtris intenta recentibus in ſeſe ornatuum exemplis exprimendis vacaverat, novas & illa ſubinde formas, arteſque excogitatura: nunc autem eos teſtes habere cupit contemptus ſui, quo hæc omnia execratur. Hoc illa vult, & id nolle, ſane eſt eam pœnitentem non imitari; & eam non imitari, prorſus eſt, pœnitentem non eſse. *P. Bourdaloue*.

Nemo poteſt ex animo cõverti niſi palã ſe virtutem ſequi profiteatur, ne inde recedere poſſit.

Cum noſmet Deo cupimus devovere, nihil nobis dimidiatum faciendum eſt; ut ſaluti noſtræ conſulamus, inſigni aliquo conatu opus eſt. Næ ille quidem vehementer errat, qui ait poſſe aliquem ex corde converti, quin initam cum mundo neceſſitudinem palam infringat. Videte illuſtrem pœnitentem Magdalenam; alii fortaſse minus vividi, minuſque fortes quam illa, pœnitentiam agere poſsent: ſed pro iis, qui extrema ſunt auſi, nil mediocre ſatis eſse poteſt. Hæc una ſupereſt ſalutis via. Toti vel Deo, vel Mundo inſervire debemus; ſanctus requiritur fervoris exceſsus, qui noſmet a vanitate, nobiſque divellet. Quoad placuerit id pœnitentiæ genus inhoſpitale, indiſcretum, immodicum vocemus; procedendum nonnunquam eſt, uſque ad S. Crucis ſtultitiam, ſtultitiam quidem coram mundo, coram Deo autem ſapientiam; & vere affirmare licet, plurimos eſse peccatores, quibus alioquin clauſum eſt regnum cælorum. *P. Cheminais*.

Quanta fuit lætitia Magdalenæ ex ore Salvatoris audire ſibi cõceſſam criminum ſuorum veniã, ideoque illius certã eſſe.

Quænam Magdalenæ lætitia fuit, non ex ore hominis, qui ex caritate nos confortat, ſed qui nullam rei habere certitudinem poteſt, non viſibilis alicujus Angeli miniſterio ad nuncium adeo felix ferendum miſſi; quæ viſio errori eſſe poſſet obnoxia, ſed ab ipſo humani generis Salvatore excipere oraculum hoc, quod illi vitam reddit, & ex quo certior fit remiſſionis peccatorum ſuorum conceptis verbis ab ipſa Veritate affirmatæ, ita ut quod citra præſumptionis temeritatem nemo ſibi certo polliceri poſſit, illi fiat quidam veluti articulus fidei, de quo ipſi citra infidelitatem dubitare non liceat. Quod ſolatium videre omnia ejus vitæ peccata, quæ hactenus non aliud fuerat, quam horrida ſeries flagitiorum, momento deleri; videre, dicto citius tot noxias cogitationes, tot prava deſideria, tot actiones, ac verba coram Deo nocua evaneſcere! Quæ pœnitentis animæ voluptas eſt, adeo brevi tempore exolviſſe pro pœnis æternis, quas toties merita fuerat! Tam celeriter illum aſſecutam eſſe ſtatum, quem aſſequi poſt auſteriſſimæ pœnitentiæ annos quadraginta, vel quinquaginta, perfectis animabus ſumma felicitas eſſet! Verbo; ſcire, ſe a Deo, & a ſe diligi Deum! *Idem*.

Cum Magdalenæ peccata publica fuerint, vult illa publicã eſſe pœnitentiam.

Hanc rationem Magdalena ſervavit. Publica fuerant ejuſdem flagitia; vult etiam publicam eſse eorum pœnitentiam. Ædificat, quos ſcandalizaverat; contemnit quidquid alias amaverat; & amorem hunc, quem in aliis amandis partita fuerat, colligit, Sacrificium oblatura Deo, ubi omnia igne cæleſti ſunt abſumenda. Quot illa ſeceſſionis habet conſilia ad expiandam licentiam, quam mundi commercium tribuit? Quænam illa profert judicia adverſus ea, quæ ipſam fefellerunt, vel adhuc fallere poſſent? Quod bellum ſenſibus indicit ſuis, ut jugi mortificatione, ac ſeveritate, proditionum, quarum aucto-

BIBLIOTECA CENTRAL

auctores fuerunt, dent pœnas? Crux non perterrebit illam, non probra, neque minas Judæorum verebitur. Undenam ipſi audito ſolum pœnitentiæ nomine contremiſcimus? Spiritus, & cor noſtrum, ubi de humiliatione, ſubjectione, ac patientia ſermo eſt, inhorreſcunt? ſenſuſque omnes contra Sanctas Evangelii ſeveritates rebellant? Inde quia pœnitentiam reſpicimus non tanquam opus Spiritus Sancti, ſed tanquam hominis tormentum, ac pœnam; inde, quia procul abeſt, quod Deum eodem ardore, quo Sancta hæc pœnitens, diligamus. *Flechier.*

Magdalena in cõverſione ſua humanos reſpectus contemnit.

Fervens Magdalenæ amor hanc ſtatim Jeſum Chriſto alligat, efficitque ut nullo habeat in diſcrimine judicium, & probra mortalium. Quo animo illa ſuam aggreditur pœnitentiam? Non vocata in alienam obrepit domum, convivii hilaritatem importuno mœrore perturbatura; ſeſe projicit ad Salvatoris pedes, quin vereatur, quid homines dicturi ſint vel de vita præterita, vel de audacia præſenti; hoc facto inſolito ſcelerum ſuorum confeſſionem emittit, ac pœnam peccatorum ſuorum ſuſtinet & pro primo ſuæ converſionis argumento, patitur injuſtum murmur, quod Phariſæorum ſuperbia, ſuique nominis infamia indubitanter in ipſam ciebunt. Hæc omnium prima auſa eſt Jeſum Chriſtum confiteri coram hominibus, & coram illius inimicis non erubuit ipſius Evangelium. Ipſi noſtis, non minimus converſioni peccatorum obex falſus pudor eſt & ignavus judiciorum, & illuſionum totius mundi timor. Quod aliquis poſtquam diu ſecum præteritæ vitæ crimina a ludis abſtineat, a cœtibus, ab iis etiam negotiis, in quibus experientia magiſtra doctus fuit, ſe periculum ſuæ ſalutis adire, pauperibus ſua bona diſtribuat & ſæpius, atque decentius ſacris interſit myſteriis; quod Matrona quædam adhuc ætatis ſuæ flore gaudens luxui, & vanitati nuncium mittat, & chriſtianæ modeſtiæ regulas amplectatur, quod Templa, & Xenodochia inviſat: mutationis hujus cauſſæ inquiruntur, & ſæpe illæ anteferuntur, quæ longius a caritate recedunt. Quantum fieri poteſt hujuſmodi converſiones in ludibrium traducuntur. Inter ceteros nitendi ſtudium, rerum novarum amor, ingenii, ac propriæ libidinis mobilitas, humani ſpiritus levitas pro cauſſis afferuntur. Hanc autem ob cauſſam quot pietatis actiones ſuo caruerunt effectu apud eos, qui illas ſe facere velle decreverant? Quot pœnitentiæ in ipſo ortu jugulatæ ſunt? quot animæ, ut ita dicam, a Jeſu Chriſti amplexu divulſæ? Hoc præter propter ſimile eſt frigori, atque intempeſtivæ glaciei, quæ fructus adhuc teneros, ac orientes opprimunt, eiſque omnem incrementi, ac maturitatis ſpem adimunt. Magdalena hanc humanarum rationum tentationem ſuperat; omnia illi nullo ſunt in diſcrimine præter ſalutem ſuam; nulla turbatur re, quam ſuo ſcelere; & ſi quæ illi ſupereſt gloria, hæc ea eſt, quam ex ſua confuſione poteſt elicere. Undenam vero hæc firmitas procedit? Patres duas afferunt cauſſas; quarum altera eſt, non timeri niſi pro magnitudine amoris. Magdalena vero unum habet amorem, ideo & unum habet timorem. Pro nihilo putat ab hominibus judicari, quia jam unum agnoſcit Jeſum Chriſtum, cumque in hoc omnem impendat dilectionem ſuam, ut famuletur ei, omnem in eo collocat timorem ſuum ne illi diſpliceat. Altera eſt, ipſam tanto pudore in corde ſuo propter præterita crimina confici, ut nihil extrinſecus videat, quod illam rubore ſuffundere valeat. *Flechier.*

Abrenuntiare palã ſceleribus ſuis, eſt, ut ita dicã triũphus pœnitentiæ; quẽ retulit Magdalena.

Hæc potiſſima eſt converſionis Magdalenæ circumſtantia, atque ut ita dicam altera converſio eſt; palam, & ſub oculis Mundi criminibus ſuis abrenuntiat. Hic merito vocari poteſt publicus triumphus, quia nova opus eſt vi ad infringendas novas difficultates, quæ ſunt ſuperandæ, non dico ſolum, quia operoſum eſt hoc capere conſilium, ſed quia in pœnitentiæ hujus praxi plurimæ, graviſſimæque difficultates occurrunt. Undenam fit, ut plurimis quidem tanta inſit fortitudo; ut clanculum peccata relinquere velint, & ſecum ineant admirabilia ſuæ converſionis conſilia; ſed quibus deeſt animus palam præbendi vera ſuæ converſionis indicia? Pudet videri pœnitentem, quia ille, quem pœnitet, fontem ſe fuiſſe fatetur; & metus, ne ab impiis in jocum vertatur, & verecundia propria aperiendi peccata, ubi ea relinquere velit, prohibet, ne pœnitentiam ſuam in hominum oculos proferat. Procul dubio cogitationes hujuſmodi ſeſe obtulerunt oculis Magdalenæ eo momento, quo hoc maximæ neceſſitatis inibat conſilium, idque eo magis, quia nobilis erat adoleſcentula omnibus civibus ſuis cognita, quæ publicam hanc pœnitentiam aggredi minime poterat, quin in ſe oculos, ac verba mortalium omnium converteret. Temet igitur convertendi certiſſimum cepiſti conſilium, Magdalena; eſto; ſed hoc clanculum fiat: convenire vis hunc Prophetam, ut illi dolorem teſteris tuum? elige ſaltem locum, ac tempus, quæ tuæ huic agendæ pœnitentiæ voluntati conveniant: illi aperire vis ſcelera tua? expecta, dum in Templum accedat; hæc aula, hoc tempus convivii tuum non decent dolorem; in jocum traducentur ejulatus tui, & de lacrimis tuis non æquus per urbem rumor percrebreſcet. Hæ rationes maximam obtinuiſſent vim in corde, quod minus ſtrenuum eſſet, quam cor Magdalenæ, huic ſatis ineſt amoris, & fortitudinis, ut humanas rationes iſtas contemnat, quas mundi ſpiritus illi ſuggerere poſſet. Peccatis meis publicum peperi ſcandalum; opus eſt, converſio mea publicum præbeat exemplum; ego actibus meis pluribus ſceleribus cauſſam præbui; hæc reparare volo per pœnitentiam meam ob oculos mundi totius. S. Auguſtinus ait, S. Magdalenam ſi impudens fuit in peccatis, in pœnitentia fuiſſe impudentiorem. *Frontoſa ad ſalutem.* Ita S. hic Doctor appellat invictam Magdalenæ in publica pœnitentia fortitudinem; Sanctam impudentiam, quæ in fronte illius major apparet, quo magis de omnibus iis, qui adverſantur, obicibus refert triumphum: *Frontoſa ad ſalutem. Biroat in Quadrageſima.*

Qui hominũ judicia veretur aptus non eſt regno Dei.

Nobis hæc animo hæreat doctrina, eamque veluti unam ex certiſſimis vitæ noſtræ regulis adoptemus: Donec humanus reſpectus dominabitur noſtri, donec erimus humanorum judiciorum mancipia, donec verebimur, ne irrideamur, & improbemur, quidquid egerimus, Dei regno apti non erimus. Quid hodierna die in pleriſque animabus gratiæ effectus prohibet? Quid vetat ſexcentas converſiones, quæ certiſſime fierent in mundo? Humanus reſpectus. Hic ait; ſi tandem aliquando Chriſtianum, ac frugi vivendi genus amplector, quanti in mundo fiam? Illa inquit; ſi has relinquo viſitationes, & ſolatia, quænam erunt de me hominum judicia? Poſt hæc nullum eſt optimum deſiderium quod non evaneſcat, nullus fervor, qui non extinguatur. Cuperemus quidem mundum æquiorem eſſe, & licere tuto, atque cum honore virtutis partes ſequi, ſed tyrannica humani reſpectus lex cohibet, ac pereuntes malumus huic parere legi, quam animæ noſtræ conſulentes libertatem noſtram tueri. Longe aliter agit Magdalena; pro nihilo enim habens omnia hominum verba, & judicia, quæ de ſe fient, contemnens ſine ulla reſpectuum humanorum formidine ad Jeſu Chriſti pedes accurrit, ubi certo ſciebat, ſe indubitanter facinorum ſuorum remiſſionem conſecuturam. *P. Bourdaloue.*

Odium peccati & amor Dei conſtituunt Magdalenæ, pœnitentiã, eamque perfectã, completamque reddunt.

Pœnitentiam veram non facit, niſi amor Dei, & odium peccati, S. Auguſtinus ait. Inſignes hoſce duos cordis motus in Magdalenæ pœnitentia deprehendere poſſumus. Immerſerat illa corpus ſuum in turpiſſima flagitia, vanitatem, prodigalitatem, ipſamque mollitiem, nihil ante converſionem ſuam negabat corpori, quod illi placere poſſet; non renuebat illi quidquam inanium ornatuum, qui ſunt laqueus pudicitiæ; nulli parcebat curæ, ut illius venuſtatem, ac decorem ſervaret; nihil inauſum prætermittebat, ut augeret, ſervaret, afflaret vultui ſuo veneres, & lenocinia, quæ tot illi ignavos cultores conciliaverat. Prodigalitas, ſuperbia, mollities totidem erant ſigna amoris, quo corpus ſuum proſequebatur; ſed quem abjicit per ſimplex odium eorum, quæ amaverat, & ſincerum amorem eorum, quæ oderat. Non extremus inter admirabiles effectus odii, quo Magdalena corpus ſuum perſequebatur, eſt abjicere omnes ornatus, quibus tandiu illud fuerat exornatum, omnes cincinnos, & calamiſtros, quibus caput ſuum ædificabat, omnemque mundum muliebrem, quem circumferre geſtiebat. Hæc omnia nunc temporis tamquam in more poſita ornamenta, & uſus noxa carentes exiſtimantur. Sanctum odium, quo pœnitens perſequi debet corpus ſuum, quod fuit tot ſcelerum cauſſa, vix eſt ipſius pœnitentiæ dimidium; in odio hoc fundandus, & ſtatuendus eſt amor Dei. Non ſatis eſt ſe mortificare, affligere, plorare, negotiis omnibus nuncium mittere; omnia ad Dei gloriam referenda ſunt, nihil niſi propter illum faciendum eſt, & ſicuti in ſtatu peccati omnia ad ſemetipſum referebantur, in converſione ſua omnia ſunt ad Deum referenda. Ita Magdalena perficit opus, quod inceperat. Quidquid agit, refertur ad Deum, omnes illius curæ in Deum referuntur. Si plorat, plorat ut lacrimis Salvatoris pedes abluat: *lacrimis, cœpit rigare pedes ejus:* Si crinibus utitur, utitur, ut pedes ejuſdem abſtergat: *Capillis capitis ſui tergebat.* Si effundit unguenta, effundit, ut pedes ejus liniat: *Unguento ungebat.* Hæc totidem ſunt argumenta dilectionis, qua Deum ſuum complectitur: at ſi ex me quæras unde nunc repente amor adeo fortis profectus fuerit? inde, dicam; quod metus, & humilitas cor illius aperientes ad pœnitentiam; ſimul etiam illud ad Dei amorem aperiunt. *Pater Bourdaloue.*

Magdalena ad J. C. pedes procumbit, ut ſe ipſam accuſet, alia quavis cogitatione, rejecta.

Sancta Magdalena ad J. C. feſtinans neque ſuæ conſuluit exiſtimationi, neque juſtificationi ſuæ, neque ſuæ ſecundum mundum utilitati. Properat ſolum, ut ſe ipſam condemnet, & mereatur, ut Jeſus Chriſtus ipſius cauſſam ſuſcipiat. Judex illius fit ejuſdem patronus, & felici inverſione, qui illius prolaturus erat ſententiam, vult cauſſam ejuſdem ſuſcipere. Quin exprobret illi vanitatem, præbet converſionis, & amoris ejuſdem teſtimonium; ut Miniſtri ſui intelligant, S. Gregorius ait, ubi ad animarum regimen evocantur, nequaquam indiſcreta ſeveritate repellendos eſſe eos, qui ad gratiæ ſuæ tribunal confugiunt, induenda eſſe paternæ caritatis viſcera erga illos, cum humili, ſinceraque confeſſione ad eorum pedes advolant veram vulneribus ſuis medicinam quæſituri; ſibique ſuam exercendam eſſe caritatem, cum Domini miſericordias exercent. Quantum hæc Filii Dei bonitas fervorem, grati animi ſenſum, ac fidelitatem Magdalenæ excitavit! Hæc ad illius pedes provolvitur, illos deoſculatur, eoſque ſuis tergit crinibus. Ad pedes illius, S. Paulinus ait, tamquam ad aram confugit, in qua Deo offert vivam fidem, veruinque ſacrificium, cor videlicet contritum, & humiliatum. Ibi vocis uſum amittens, ac fletibus, ſuſpiriiſque loquens, petit ſilentio veniam peccatorum, cujus ſe immerentem confitetur. Ibi anima hæc dolore confecta ſupplicis more ſeſe offert victori ſuo, ut audiat voluntatem ejus, & cum reverentia leges, regulaſque beatæ ſuæ captivitatis accipiat. Ibi cohibens, & caſtis obtutibus ſuis expians oculos alias impudicos, mobileſque, & in Religionis officium adhibens capillos, qui non extremum fuerant ſuæ vanitatis ornamentum, Ægypti manubias ad Tabernaculi gloriam conſecrabat, efficiebatque ut in J. Chriſti cultum traducerentur ea omnia, quibus ut Mundo placeret fuerat abuſa. *Flechier.*

Magdalenæ fortitudo.

Cuinam humani reſpectus majus debebant negotium faceſſere, quam Magdalenæ? Erat juvenis, dives, formoſa; tranquille frui poterat voluptatibus hiſce naturæ, fortunæque bonis aucta. Repente vitæ rationem mutare, ſacrificare quidquid efflictim amabat, inſigni facto ſeſe inſipientibus cultoribus ſuis auferre, id ſane erat aculeatas in ſe irriſiones convertere; tamen nullam habet rationem neque mundi ſpectatoris, qui loquebatur, neque improborum ſermonum, quibus corripiebatur. Injuſtos magnæ civitatis contemptus aſpernata, ineptos hoſce obices irridet, ac intrepide ſequitur gratiæ motum, quo acta in Phariſæi domum ingreſſa eſt. Omnia mortalium dicteria de ſuæ mutationis novitate contempſit, quæ humana prudentia ſedulo evitaſſet, ſenſim ad hæc mundum aſſueſaciens potiuſquam inexpectato, inſignique conatu illum percellens. Non agnovit illa inepta hæc, & inofficioſa officia; & hinc initium ducere debet anima, quæ ſincere vult ſeſe devovere Deo, publice tranſiens in caſtra illis prorſus oppoſita, ex quibus fugam capeſſere meditatur. *Morale dictionarium. Tomo 5.*

Quomodo Magdalena pœnitentiã agat ſuorum peccatorũ, & quid agat ad illa expianda?

Ad examen vocemus quid in pœnitentia ſua egerit Magdalena, & videbimus qua cura omnes peccati occaſiones abſcindat, quo animo lacrimis ſuis conata eſt eluere, ſuiſque ſuſpiriis delere quidquid illam in peccatum impulerat, qua vigilantia detegit omnes occaſiones, ut illas evitet. Hinc deſerit quidquid deperierat; nacta hoc pacto, S. Gregorius inquit, tot offerendi ſacrificia Deo, quot in peccati ſui inſtrumentis illecebras, & lenocinia repererat: *Quot invenit oblectamenta, tot de ſe fecit holocauſta.* Ex corpore hoc, adeo molliter excepto, viventem pœnitentiæ hoſtiam effecit; ſacrificavit carnem hanc voluptuoſam mortificatione, fervore, humilitate, ad piorum votorum ſuorum complementum traduxit quidquid ad explendam ipſius libidinem contulit. Nullam vult amplius ſocietatem, quam J. Chriſti; quocumque ſequitur Calvarium, ad crucem, & etiam trans ipſum ſepulcrum. Reliquis omnibus non afficitur, Sanctus Bernardus ait: *Sedet, tacet, interpellata non reſpondet.* Cum adeſt coram Salvatore, hoc illi ſatis eſt; A mundo, mundique voluptatibus avulſa nihil ſapit, niſi ſilentium, & lacrimas. Ita illa omnes abdicat exteriores actiones, quæ illam ad peccandum impulerant, ut uni adhæreat J. C.. *Recens Auctor.*

Occaſio Salutis, & Magdalenæ converſio inde orta eſt, quia Salvatorem audiit populo prædicantem.

In Magdalena Mundus invenerat unum ex illis teneris cordibus, quod omnia trahunt, voluptates alliciunt, converſationes faſcinant, & ubi invenitur deſiderium ubicumque voluptates quærendi. Recentis doctrinæ rumor, quam Jeſus Chriſtus Jeroſolymæ prædicabat, in Magdalena, non ſecus ac in aliis plurimis exciverat illius audiendi cupiditatem. Voluit illa novum hunc Magiſtrum cognoſcere, cujus ſermonibus tanta vis in hominum mentes & corda ineſſe ferebatur. Hunc ubi vidit, illico deprehendit in eo illos Majeſtatis characteres, qui omnium obſervantiam, & reverentiam ei conciliabant, lenitatem, propter quam ab omnibus diligebatur, bonitatis habitum, coram qua licentia, & corruptio pudore non ſuffundi non poterant, miſericordiam, quæ ſola peccatorum converſione commovetur; propheticam auctoritatem, quæ nullo habet in diſcrimine ſummos, & imos; novum hunc denique Magiſtrum docentem vias Dei in veritate, atque juſtitia: tot jam præoccupata illecebris, quibus illam Deus alliciebat, audit hoc verbum ſalutis, & miſericordiæ, quod gratiæ vitam uſque in penitiora cordis inſerebat; atque tunc iſtud cor adeo deditum amori mundi, adeo cereum ad omnes illius impreſſiones excipiendas, non diu reſtitit illecebris, quas in J. C., & vi, quam in verbo illius deprehendit. Quo magis illum intuetur, eo magis eum reveretur, & colit; quo magis eum audit, eo magis ſe uni illi adhærere decernit. Jam inquieta, agitata, ac ſemipœnitens ſibimet ipſi ait: Quinam ergo eſt vir iſte, qui tanta cum auctoritate loquitur? pro una me tantum locutus fuiſſe videtur. *Sermo, qui P. Maſſillon tribuitur.*

Magdalena non ſtatim ceſſit libidini ſeu aliquandiu reſtitit.

Magdalenæ amor, ac ſtudium erga licentiam, & flagitia eadem habuit initia, eoſdemque progreſſus, ac eos quos in aliis ejuſdem ſexus, ordiniſque intuemur. Primum quidem orienti reſiſtit cupiditati; huic objicit decorem ſuum, bonamque inſtitutionem, quam acceperat: ſed poſtquam illa ſibimetipſi dixit, quod tot adoleſcentulæ ad hanc quoque diem ſibi ſimiliter dicunt ſcelus non eſſe honeſtam ſibi comparare in mundo ſocietatem; ſe poſſe ſapientem eſſe, quia ruſtica ſit; ſatis liquere, quænam ſit hac in re nobilium adoleſcentularum conſuetudo, non deeſſe neceſſitudines quaſdam adeo culpa vacuas, ut virtus ipſa, quæ omnium maxime tenera eſt ne minimam quidem labem inde reformidet; amicitiæ commercium nunquam prohibitum eſſe; poſtquam, inquam, illa ſibi dixit fallaces hujuſmodi rationes, exempli torrens eamdem in omnia flagitia, in quæ mundanæ mulieres labi conſueverunt, proripuit. *Idem.*

Plurima illi fuere ſuperanda antequã frangeret impedimẽta pœnitentiæ.

Plurima ſane prælia Magdalenæ ſuſtinenda fuerunt in converſione ſua: licet enim ab ipſa nativitate optima ſortita fuerit animi bona, quomodonam potuit illa tandiu reſiſtere contra inimicos, quibus aſſidue in mundo urgebatur? Opus eſt, ut multas ſuſtineat pugnas, ut in ſe magnam experiatur vim; cum enim tantam haberet animi propenſionem erga mundum, & cor ad illum adamandum diſpoſitum; hæc ipſa propenſio illi fuit evincenda, & eradicanda. Ceterum ipſa naturæ, fortunæque bona quibus abundabat erant in cauſſa, ut multo plures illi propulſandæ eſſent tentationes, & ſeductores pertimeſcendi, quam aliis adoleſcentulis vulgo. Obſiſtere debuit illis æſtimationis, & amoris proteſtationibus, quas centies quotidie audiebat: quod poterat ne illa obtinere, quin ſibi ſummam adhiberet vim? Ad hæc quanam fortitudine, & conſtantia indiguit, ut frangeret noxia vincula, quæ longa conſuetudine obduruerant, & ut evelleret ex animo jucundum habitum hunc, quo tandiu ſollicita agebatur? Quot anguſtiis, laboribuſque ſtetit characteris hujuſmodi animabus, ſeparationem hanc aggredi, & iis, qui perdite amabantur, nuncium mittere, ut adhæreret novo objecto, quod ſuperioribus prorſus adverſaretur. *Idem.*

Sicuti neglexerit illa exiſtimationi ſuæ curam, ut in peccatis viveret, illã negligit, ut tota Deo ſuo ſerviat: atque omnia hominũ judicia contẽnit.

Magdalena mundo ſacrificaverat ipſum ſui nominis decus; & hoc ipſum J. C. ſacrificat. Feſtina in convivalem ingreditur aulam, ipſo convivii tempore, quæſitura novum Prophetam, quem alibi plurimis in locis videre poterat. Perſonam ejus ætatis, ſexus, nobilitatis audacter in illum ingredi cœtum; ubi invitata non erat, neque orata, tot inter convivas repente irruere, a quibus tanquam peccatrix agnoſcebatur, non ne eſt omnem verecundiam abjicere? Sed amor ejus non ſinit harum rerum rationem haberi ab anima, quæ illo ſuccenſa eſt; cor ubi invenitur non quærit hominum plauſum ea in re, ubi ſuimetipſius accuſator accedit. Generoſa hæc Amica, amore Dei ſaucia, tanquam Canticorum ſponſa quocumque pergit, quo corde ſuo rapitur. Contemnit illa oculos mundi; ſancta cum impudentia aulam ingreditur; videt Jeroſolyma quoſcumque de ipſa obloqui; factum ejus in remotiſſimis etiam angulis civitatis corripitur; conatur Phariſæus pœnitentiam ejus in ſuſpicionem arceſſere coram Salvatore, ad quem ſeſe accuſatura contendit. Sed hoc ipſo tempore, quo præterita dolet peccata, de ipſa iniquiſſimum fertur judicium. Unice occupata eſt amore Jeſu Chriſti, de mundo ne cogitat quidem niſi ut aſpernetur illum. Licet quod magno in cœtu facere eſt auſa, improbetur, licet hoc ſuæ converſionis principium, probro ei vertatur; non tamen quidquam e primo fervore dimittit; nec ab inito conſilio recedit. Quandoquidem novit illa mundi placita aſpernari, illius etiam judicia, cenſuraſque aſpernata eſt; ex quo Mundum odiſſe dicit, nunquam illum pertimuit. Se illius cenſoriis objurgationibus ſuperiorem conſtituit; quæ toties vidit vitium in honore poſitum celebrari, non ſtupet, cum videat virtutem affici contumelia. Et ſane quid officere poteſt Mundi judicium animæ, quam cognoſcit Deus? Maximum quidem ſolatium eſt, non fulciri ejus judicis ſuffragio, qui rudis, & ignarus eſt, cum interim nobis judex omnium æquiſſimus, atque ſapientiſſimus ſuffragetur. *Idem.*

Pœnitentiæ omnia devovet naturæ & fortunæ bona, & quidquid antea ad ſuã fovendã vanitatem impenderat.

Magdalena pœnitentiæ non omnia ſolum fortunæ, ſed etiam naturæ bona ſacrificat. In illam impendit omnes eas dotes, quibus large a natura donata fuerat. Oculos, quibus uſa fuerat ut noxium accenderet ignem in iis, qui ipſam intuebantur, flammaſque amoris in penitiores animæ receſſus injiceret, hoc terrenis rebus omnibus claudit; quos ſi aperit adhuc, una hac tantum aperit de cauſſa, ut errata, noxaſque ſuas lacrimis eluat. *Lacrimis cœpit rigare pedes ejus.* Crines, quibus tanquam retibus fuerat abuſa, ut ignavos, cæcoſque cultores falleret, nonniſi ad abſtergendos Salvatoris pedes adhibet. *Et capillis capitis ſui tergebat.* Ore ſuo toties laſcivis oſculis coinquinato nunc utitur, ut ſanctos Salvatoris pedes deoſculetur. *Et oſculabatur pedes ejus.* Unguenta, quæ illius mollitiem indicabant hæc large ſuper divini Magiſtri ſui pedes effundit. Denique amor illius efficit, ut omnia ſuæ cupiditatis arma reſumat, ac in totidem pœnitentiæ arma convertat. Peccatum ſuum per ipſum punit peccatum, & ad hoc evertendum utitur iis, quibus uſa fuerat ad illud conſtituendum. Non imitantur illam tot horum temporum pœnitentes, quæ poſtquam cum mundo commercium abrumpere inceperunt, ſervant adhuc, quomodo illius oculos in ſe convertant, & minus magnificis minuſque affectatis ornatibus placendi voluptatem non minuunt. *Idem.*

Humilitas Magdalenæ ſeſe projicientis ad pedes Salvatoris, & pro nihilo habentis ſuã confuſionẽ.

Magdalena ſe projicit ad Domini pedes, ſed retro poſt pedes illius: *ſtans retro ſecus pedes ejus.* Petit ab eo Miſericordiam, ſed nonniſi lacrimarum, atque ſingultuum vocem adhibet. Lacrimis ſuis rigat Salvatoris pedes, ſed eos ſuis crinibus tergit. Proſtrata coram illo non audet oculos ad Sacram illius faciem attollere. Hæc ipſa pia impudentia, quæ efficit, ut audeat factum, quod omni conſilio carere videtur, nonniſi, ab ea proficiſcitur humilitate, quæ illius amorem exæquat, S. Gregorius ait; quo magis intus erubeſcit, minus tamen pudet illam eorum omnium, quæ extrinſecus illi ruborem ſuffundere poſſent. Si minus eſſet conſcientiæ ſuæ ſtimulis humiliata, magis hominum probra expaveſceret. Non pudet illam prodire coram Phariſæo, & frequenti hominum cœtu, qui illam publicam norunt peccatricem; ſed pudet potius ſeipſam videntem coram Deo cordium ſcrutatore, qui ſecretiſſimos cordis ipſius penetrat ſinus, ibique detegit impurum fontem, qui totum vitæ ipſius curriculum coinquinavit. *Abbas du Jarry.*

Senſus, & lacrimæ Magdalenæ ad pedes filii Dei.

Quid non ait Magdalena, & quænam voces dignæ eſſe poſſent ſilentii ejuſdem interpretes? Senſus, quos divino proſus

BIBLIOTECA CENTRAL

ſus conſilio David in pœnitentiæ Pſalmis expreſſit; patheticæ locutiones, ubi dolor ipſe locutus fuiſſe videtur per os Sancti hujus Regis! teneræ, dolenteſque querimoniæ columbæ gementis in contritis animabus; diſertiſſimo huic Magdalenæ ſilentio cedite. O beatæ lacrimæ; quantum fontem aperit J. Chriſti gratia; ſanguis cordis, quem præaltum cordis contriti vulnus magnis fluctibus emittit; aquæ amaræ, quas Spiritus Sancti flatus efficit, ut copioſius fluant, quantum virtutis vobis ineſt apud Deum! Angeli Domini attenti eſtote pulcherrimo huic ſpectaculo, & deferte cum contriti hujus cordis ſuſpiriis, odorem ſanctitatis, qui Deum miſericordem lætificat. *Idem.*

Continuatio eorumdem ſenſuũ doloris.

In hoc doloris, & contritionis ſenſu, cur illi non licet creatarum rerum omnium oculos fugere, neque in lucem prodire, niſi quantum opus eſt, ut ſua reparet ſcandala! Cur nefas eſt illi prævertere effectus diutinarum auſteritatum ſuarum in ore, ac delere importunæ formæ reliquias, quamvis dolore ſuo ſemideletas! Abite illecebræ, quæ adhuc mortalibus oculis placere poteſtis. Apage ſpeciem infelicem, ſcopulum funeſtum, ubi tot animæ perierunt! periculoſa naturæ dona, quibus nefarie abuſa ſum, ut eos mihi demererer honores, qui uni tantum æternæ Dei mei formæ debentur! Evaneſcite ſub impenetrabili tegumento, quod hominum fallat obtutus: Oculi noxii interpretes infelices faces earum cupiditatum, quas & aliis afflavi, & ipſa hauſi, fatales valvæ, qua mors, & peccata ingreſſa, egreſſaque ſunt, claudimini, obſcuramini, indeſinentes flete, ac eſtote veluti tot carbones meæ pœnitentiæ lacrimis extincti! Crines, inania nacentis capitis ornamenta, laquei, & vincula dæmonis, quæ ipſa tanta arte mihi contexui, ut alligarem infelicia mancipia, quæ illius jugo ſuppoſui: capiti ne inhæreatis ultra, niſi ut contegatis frontis verecundiam & ut vobis utar in abjectiſſimis miniſteriis, in quibus ſtat mihi omnem gloriam meam conſtituere. Tu vero, corpus meum, ara voluptatis ſacrilega, idolum carnis, ac limi, iterum revertere in pulverem, ex qua extitiſti, & morere ſub cineribus pœnitentiæ, in quibus te uſque ad ſepulcrum volo humiliare! Deus habens abſolutum cordium imperium, hæc ad arbitrium vertit; nulla tanta durities eſt quam non molliat; licet in altiſſimis nequitiæ abyſſis jacerent, unicum illius verbum ſatis eſſet, ut ea ad ſanctitatis apicem attolleret. Hæc Dei potentia repente immutavit cor Magdalenæ, & ex illius anima cupiditatem avellens, funeſtam hanc malorum omnium radicem, effecit, ut ſtatim pretioſa gratiæ ſemina germinarent. Mutatio eadem, quam manus Altiſſimi in corde illius eſt operata, fieri poteſt in corda peccatorum, quæ ſunt induratiſſima. *Idem.*

Hypotypoſis ingenii, & vitæ Magdalenæ antequam converteretur.

Magdalena peccatrix erat in civitate, adoleſcentula, cujus pulcritudo, nobilitas, mens, hilare ingenium plurimos eidem cultores conciliaverat. Talis in ſexu ſuo erat Magdalena; neque enim adduci poſſum, ut credam illam dedecus intuliſſe in domum ſuam, & generis ſui dignitatem publicæ impudicitiæ proſtraſſe. Sed puella hilaris, cui placebat cœtibus intereſſe, & plurimorum cultum, & obſequia excipere, quibus illa dare verba, ut ſuæ faceret ſatis vanitati, eaque alienis ſumptibus velificaretur. Credo etiam illam nulli ſeſe tradidiſſe, ut omnes ſuo reſervaret imperio, atque præcipuam illius voluptatem in eo fuiſſe poſitam, ut reliquis omnibus ſexus ſui præſtaret. *Abbas Boileau.*

Nulla converſio ad peccatores erudiendos aptior eſt quâ Magdalena.

Nulla in Scripturis invenitur converſio aptior ad peccatores erudiendos, quam converſio Magdalenæ; licet enim gratia illam attraxerit, non ſecus ac reliquas omnes, id tamen accidit aliquo ſigno, ut in aliis, quemadmodum legimus in Bibliis. In Davidis converſione Nathan propoſito ænigmate viam ſibi aperit, & callide extorquet ab ipſius ore, & crimine confeſſionem, & ſuam ipſius damnationem. In Converſione S. Petri Jeſus Chriſtus in eum oculos figit; hic S. Paulum rapit, vocat Matthæum, quærit Samaritanam, ſed Magdalenam non quærit. Quamvis gratia in corde illius operetur; tamen Magdalena quærit Jeſum Chriſtum, eumque a ſe inventum exclamat. Hic non rapit illam in cælum; illa ſeſe ad illius pedes proſternit: *ſtans retro ſecus pedes ejus*. Nulla converſio eſt aptior ad nos erudiendos; ſi enim de converſione David verba faciam; dicetis vos quoque præſtolari Prophetam, qui vos, ut Nathan, Davidem evincat. Si de converſione S. Petri loquar, reſpondebitis, vos expectare donec Jeſus Chriſtus vos reſpiciat. Si de S. Pauli, attenditis donec Deus vos rapiat: ſi de Samaritanæ, differtis donec vos ille perquirat. Hodierna vero die quam negligentiæ veſtræ excuſationem afferetis Magdalenam intuiti? Omnia ibi plena ſunt doctrinæ. *Idem.*

Qua bonitate Mundi Salvator recipit Magdalenam, & ſinit hanc pedes ſuos oſculari.

Omnes admirantur eam facilitatem, qua Dei Filius permittit, ut ad ſe propius peccatrix accedat. Hæc ſacros illius pedes attrectat, diu ad arbitrium ſuis lacrimis eluit illos, ſuis linet unguentis, capillis abſtergit, & ad ſatietatem deoſculatur. De hac re murmurat Phariſæus, omnis convivarum cœtus obſtupeſcit, ſed nemo illa magis. Salvatoris bonitas æque ac facilitas cor ejuſdem penetrant. In lacrimas funditur, ne verbum quidem proferre poteſt; humilia, ac tenera ipſius oſcula ſatis loquuntur. Quo vividior illius amor eſt, eo dolor ejus acerbior; quo enim magis diligitur Deus, eo major dolor eſt ejuſdem læſi, quemadmodum indulgentia amorem auget, ita etiam dolorem. Ne loquamur amplius cum hac peccatrice de ſeveritate, ac martyrio pœnitentiæ ipſius; amor, & dolor efficiunt, ut quoslibet cruciatus experiatur. Plus patitur in corde, quam auſteriſſimi quilibet pœnitentes. Da nobis, Domine, non ſecus ac ſanctæ huic peccatrici cor, quod ad tuæ bonitatis intuitum amore inflammetur; da nobis gratiam quacumque ex parte imitandi fervoris ejuſdem exemplum in pœnitentia. *Boſſuet.*

Quot vinculis mundo hærebat Magdalena, abuſa bonis omnibus, quibus a natura fuerat donata, ut illi in dies ſemper magis hæret.

Magdalena tot erat tyrannorum mancipium, quot viros dilexerat. Pulcritudo, vanitas, luxus, voluptas, licentia, mundana complacentia, & amor vitæ erant dæmones ſeptem, qui corde illius fuerant potiti. Pulcritudo eam vanam efficiebat, vanitas illam in luxum impellebat, luxus in voluptates, voluptates in licentiam, licentia autem in amatorias nugas, aliiſque placendi cupiditatem & hæc ſimul omnia efficiebant, ut præſentem hanc vitam efflictim amaret. Natura illi formam contulerat, hoc vitium non erat, ſed cæli donum, ſed inde ſibi fecerat laqueum, quo prope fuit, ut periret, & fortaſſe plures alios perdidit. Non erat hæc proſtituta meretrix, quod aliqui arbitrantur; ſed nobilis adoleſcentula, cujus luxus, & vanitas erant comperta; Sed vitium ſub nobilitatis fulgore latebat, atque ut in mundo magis eniteſceret, nihil eorum prætermittebat, quæ poterant fovere luxum ſuum, & ſolatia, quod in ſe magnæ civitatis oculos convertebat, omniumque ſolvebat ora. Alii quidem per placendi ſtudium illi adulabantur; alii per invidiam de eadem obloquebantur; ſimplices ſcandalizabantur, ſapientiores illius mundi amorem increpabant, ipſa enim omnium erat cœtuum, omniumque ſocietatum. Quocumque ſeſe proferebat, & ubicumque hominum oculos in ſe convertebat. Verum ſicut malus rumor ut plurimum late manat, atque diffunditur, antequam ad illum perveniat quem laceſſit, cogitans ſibi profuſionibus ſuis nominis celebritatem comparaſſe, re ipſa male audiebat, atque in populo tanquam peccatrix publica habebatur. *P. Novet Parte 5. Meditationum ſuarum.*

Effectus & vis lacrimarũ Magdalenæ apud Filium Dei.

Vix ad Salvatoris pedes ſeſe projecit Magdalena, cum oculi ipſius in duos lacrimarum fontes mutantur, ac in illis omnia ſua crimina ſubmergit. O quam eloquentes ſunt lacrimæ, & quam valida ſuſpiria, quæ eaſdem concomitantur. Ad gratiam obtinendam opus non eſt ipſam loqui; nulla eſt ad perſuadendum aptior facundia, quam lacrimarum: hic ſermo cordis eſt, & Sanctorum eloquentia, quæ apud Deum omnia poteſt. Ibi, o Sancta Pœnitens, omnes pretioſos lapillos, ornamenta, ac pictas aureaſque veſtes, quibus veluti catenis in ſervitute detinebaris, ſacrificaſti, ibi nuncium miſiſti cœtibus aleæ, atque illecebrarum; ſcholæ vanitatis, atque vitiorum, omne oblectamentum tuum in pedibus Salvatoris conſtituens. O Deus Miſericordiarum! vides ad pedes tuos creatarum rerum tuarum miſerrimam. Jampridem vivo a tuo amore procul ſemota, dummodo mihi vere dicere liceat, me hactenus vixiſſe; quoniam vita mea longe fuit morte ipſa deterior. Me pudet nomen meum dicere, illud quippe delevi de vitæ libro, æternæque ignominiæ titulum mihi comparavi. Non audeo me coram te ſiſtere, adeo perhorreſco ſtatum deplorabilem, in quo ſum; bona, quæ ex tuis manibus acceperam, in tot arma conflavi, quibus te læderem; in nobilitate mea ſuperbiam, in opibus ambitionem, in ipſa valetudine licentiam, ac mandatorum tuorum contemptum concepi. Nunc audio vocem beneficiorum tuorum increpantem me, quod illum ignoravi, qui mihi dedit ut eſſem, & viverem. Quoties obſtruxi aurem verbis tuis, & cor afflatibus tuis? Verum tandem aliquando reverſa ecce ad tuos pedes jaceo clementiam tuam deprecatura. Si ad veniam obtinendam fletus, & lacrimæ vim habent ullam, ſi dolor ſincerus, & certa, ſtabiliſque voluntas non lædendi ultra adorabilem Majeſtatem tuam ullum habere locum poteſt; profiteor, licet nulla tibi eſſent flagella quibus animadverteres in me, licet nullæ tibi eſſent coronæ quibus me remunerareris, me tamen toto vitæ ſpatio, eo quod te læſerim, rememoraturam. *Idem.*

Magdalenæ fervor in Dei cultu per omne vitæ illius ſpatiũ productus.

Neque putetis dolorem hunc adeo vividum fuiſſe perfunctorii fervoris effectum, quippe ſingulis diebus deinceps percrebuit. Attenta mox ut Salvatorem ſequeretur, ne unum quidem ex illius documentis prætermiſit, & cum in curſu Apoſtolico dignabatur apud illam divertere, donec Martha ſatagebat circa frequens Miniſterium, ſilens ſtabat Magdalena, eique contriti, & humiliati cordis ſui ſacrificium offerebat. Cum ille Bethaniam venit, ubi Lazarum reſuſcitavit, cum Martha menſam inſtruebat, Magdalena ad illius pedes acceſſit, ut illos ſuis unguentis inungeret, ac fervoris, amoriſque ſui argumenta inſtauraret. Neque fuit hoc tempus illud, quo tantum ille maxime adhæſit; ſed zelus illius magis magiſque exarſit, dum fureret in ipſum perſecutio. Judæi Apoſtolis metum incuſſerunt; oves intuitæ, quomodo Paſtor ſuus plagis, morte, contumelia afficeretur, diſperſæ ſunt, ut Scripturarum utar vocabulo, una fuit Magdalena, ovis illa, quæ antea longiſſime deerraverat, quæ illum ad mortem uſque conſtanter ſecuta eſt. Sed quid ad mortem uſque dico? fidelitas ejus terminum hunc prætergreſſa eſt, qui familiariſſimis etiam neceſſitudinibus finem imponit. Ob illius obitum nulla affici potuit conſolatione; ipſum prævertit diluculum, ut extrema eidem præſtaret officia; ſuper illius tumulum amariſſimum fudit lacrimarum imbrem; & cum poſt reſurrectionem glorioſam ille terras reliquit aſcenſurus in Cælum: Magdalena, cui nihil in terris illi erat antiquius, quam ſacra J. Chriſti perſona, vivens adhuc ſeſe quodammodo

contumulavit in reliquum vitæ ſuæ ſpatium quodam in ſpecu, ubi perfectiſſimæ pœnitentiæ ſuæ ſacrificium abſolvit. *P. Chaminait.*

Dei filius perfectè vices rependit amori Magdalenæ.

Si Magdalena uſque ad vitæ ſuæ exitum tenerum ſervavit erga Dei Filium amorem, Dei quoque filius non defuit quominus illi ſingularis benevolentiæ perennia documenta præberet. In Apoſtolicis itineribus ſuis apud ſorores duas diverſabatur, & aſpectu, ac doctrina ſua domum earum ſanctificabat. Si Martha de otio queritur Magdalenæ, quæ pedibus Salvatoris inhærens, atque ab ejuſdem verbis pendens, omnem rei domeſticæ curam ſorori ſuæ relinquebat, Jeſus Chriſtus Magdalenæ partes ſuſcipit, & aperte profitetur, eas partes, quas illa ſibi vendicaverat, potiores eſſe, & in oculis ſuis jucundiores: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. (*Luc.* 10.) Si Dei Filius Lazarum a mortuis excitat, ad Magdalenæ preces illuc accurrit. Si Judas in Bethaniæ convivio dolet ob unguenta, quæ Magdalena in J. Chriſti caput effuderat; hic factum ejus commendat, atque grati animi ſenſu ductus pollicetur fore, ut illa in quatuor Mundi partibus celebretur. Si Magdalena prima eſt, quæ ab ipſo Solis ortu feſtina properat ad filium Dei in ejus monumento inquirendum; prima quoque eſt, cui ne exceptis quidem Apoſtolis, ſe ille gloriæ ſuæ ornamentis ſeptum oſtenderit. Hæc ad Apoſtolos ab ipſo mittitur, gloriam Reſurrectionis ſuæ nunciatura; ubi illa ſe geſſit veluti Apoſtolorum ipſorum Apoſtolam: *Vade*, ait illa, *ad fratres meos, & dic eis* (*Joann.* 10.) me reſurrexiſſe. Et generatim affirmare licet, nunquam Sanctæ hujus Pœnitentis zelum enituiſſe erga J. Chriſti perſonam quin in ipſo perfectam vicem nacta fuerit; adeo verum eſt, peccatorem nunquam movere gradum, ut revertatur ad Deum, quin Deus ſatis, ſuperque ejuſdem facto reſpondeat. *Idem.*

Magdalena Pœnitentiæ ſuæ inſtrumenta eſſe vult ea, quæ fuerant inſtrumenta ſuorum criminum.

Felices lacrimæ! Sanctus Leo inquit; *quæ dum culpas abluerunt priſtinæ converſationis: virtutem habuere baptiſmatis*. Felices lacrimæ, quæ cum millies eam nocentem effecerint, tandem illius juſtificandæ vim, virtutemque conſecutæ ſunt. Magdalena in exteriori corporis cultu ad exceſſum uſque vana fuerat; cultrix perituræ formæ, & non oblita eorum, quæ ſibi cultores promereri, & ſervare poſſent. Præſertim crines ſuos quam diligentiſſime comebat, & calamiſtris excolebat; quam Tertullianus confictam, affectatamque vanitatem appellat: *Confictam & elaboratam libidinem*. Sed hi capilli, quos tanta cura, atque ſtudio compſit, numquid eidem in converſione ſua erunt inutiles? Nequaquam: ſpiritus pœnitentiæ quo animata eſt, eam docet quomodo in uſum meliorem illos adhibeat. Fuerant hactenus ornamentum capitis ſuperbia pleni, deinceps in altiſſimæ humilitatis uſum impendentur. Illis utetur Magdalena ad J. Chriſti pedes tergendos, & illis tergens Dei Salvatoris ſui pedes, peccatrix hæc omnes criminum ſuorum maculas eluet. Nullum inveniret finem oratio mea, ſi ſingulis immorari vellem argumentis, quæ mihi ſuppeditat Evangelium ad conſtituendam, probandamque propoſitionem meam. Mollis, ac ſenſibus ſuis dedita erat Magdalena, unguenta, odoramenta, pretioſi liquores illius erant deliciæ. Quid autem hæc ad illius conferent pœnitentiam? Heu! Si adhuc manibus ſuis defert unguentum pretioſum, non defert illud, ut ſenſibus ſuis ſatisfaciat, ſed ut illud ſuper Dei ſui caput effundat. Ipſi etiam J. Chriſti diſcipuli obſtupeſcent, murmurabunt, ſcandalizabuntur: *Ut quid perditio hæc?* (*Matth.* 12.) Sed illa bene novit, quod agit, nihilque ſibi prætermittendum eſſe arbitratur, ubi teſtanda eſt Salvatori ſuo pœnitentiæ atque amoris ſui magnitudo. Ideo nihil illi adeo pretioſum eſt, cui nolit abrenuntiare; ideo parata eſt, ut ſemetipſam ſacrificet, nimis beata futura ſi ſacrificium ſuum acceptum Deo fuerit, & dignetur Deus acceptam habere hoſtiam toties quidem pollutam, ſed tandem igni prorſus cæleſti, & ſacro, quo abſumitur, ſanctificatam. *P. Bourdaloue.*

Magdalena eſt martyr Caritatis.

Affirmare licet Magdalenam martyrem Caritatis fuiſſe; quippe Salvatoris dolores magis illi fuerunt acerbi, quam ſi ipſa illos pertuliſſet. Animadvertunt quidam SS. Patres, quoſdam eorum, qui Morti Salvatoris aſtiterunt, violentiorem ſuſtinuiſſe mortem, velut alios Apoſtolos, & quoſdam diſcipulorum ejus, quia aſpectus mortis filii Dei fuit illis loco martyrii, & illi jam ſatis amorem ſuum ſignificaverant, ſuamque fortitudinem inſigniverant aſtantes adeo lugubri ſpectaculo, ejuſque dolorem omnem quemcunque viſio hæc illis parere potuiſſet, ſuſtinentes. Verum hoc præſertim de Magdalena dici poteſt; nam ſicuti poſt beatiſſimam Virginem nemo magis ardenter, vel tenere mundi Salvatorem dilexit, quam illa, nemo etiam acrius illius dolores expertus eſt, & ſicuti oculi ejus, ſenſuſque tunc triſti hoc objecto fuere perculſi, ita nunquam illius memoriam amiſit, quæ in ſingula momenta dolorem, & amorem illius ciebat, & quæ fuit graviſſimum, & juge martyrium illi ipſi quodammodo ſuperſtes, ut non viveret ultra, niſi ut eſſet maximi, & generoſiſſimi amoris exemplum, *Auctor Sermonum, in omnia argumenta.*

Senſus grati animi Magdalenæ ob ea beneficia quibus a Salvatore fuit cumulata, & quã fideliter illi reliquum vitæ ſpatium adhæſerit.

Nonne vobis videmini audire hanc Salvatoris amore ſuccenſam, quæ amore, & animi grati ſenſu, ac perfectionum, & miſericordiarum ejus intuitu percita dicit illi hæc eadem verba, quibus poſtmodum pœnitens inſignis uſus eſt, ut Deo eoſdem teſtaretur ſenſus quibus illa tunc erat repleta: *Ah! Domine, ſero cognovi te, ſero te amavi*. Cor meum ſibimet ipſi traditum; ita ſeſe in creatarum rerum amorem effuderat; mundus adeo me fefellerat; adeo me illius capi illecebris paſſa eram, ut quidquid mihi ſalutare eſſet, mihi etiam non ferendum videretur. Voluptatem nullibi niſi iis in rebus inveniebam, quæ necem mihi inferebant; itaque, Domine, quodnam mihi pudoris, & confuſionis eſt argumentum non poſſe oculos ad ea, quæ præterita ſunt convertere, quin ibi ſexcenta infidelitatis, ingratique animi mei detegam argumenta? Tu quidem ſumma clementia noxas omnes dimiſiſti, ſed quo magis indulgens fuiſti, ut earum oblivisceris; eo magis illa expiare conabor. Nonne tempus, quod miſere perdiderat, ſeſe creatarum rerum amori mancipans, ſummo cum fœnore reparabat, ita belle pretioſa impendens Dominicæ præſentiæ momenta? Nonne quin ſeſe diſſiparet in multiplices, inutileſque curas, meliorem partem elegerat permanens ad J. Chriſti pedes intenta ad omnia illius verba excipienda, reliqua omnia ſororis œconomicæ curæ permittens? Sed quis fando aſſequi valeret, quo confecta fuit dolore videns objectum omnium affectionum ſuarum cruci ſuffigi? Hoc profecto ſpectaculum Magdalenæ animam pervaſit, & videns temporibus illius ſpinas infigi, pedes, manuſque clavis terebrari, peccata ſua, tanquam dilecti ſui impios carnifices cogitabat. Illa ſibi videbatur audire has teneras, dolenteſque voces ex adorabili Salvatoris ore felle madenti; Ut tuas expiem voluptates, tua ſcandala, tuas vanitates, ſolatia tua me in hac pendentem cruce intueris. Nihil tenero, & generoſo cordi crudelius eſt, quam videre ſe cauſſam eſſe eorum cruciatuum, & contumeliarum, quibus ille, qui amatur, conficitur, atque torquetur. *Specimen Orationum Panegyricarum.*

Præſens adfuit morti Salvatoris, & mox quæſivit illum in monumento.

Protulit J. Chriſtus aliqua conſolationis verba matri ſuæ, dilectoque diſcipulo, ſed reliquit Magdalenam in alto mœrore demerſam. Heu quoties jure ea in occaſione illi dicere potuit: *Sponſus ſanguinum mihi es*. Si crucifigeris, amabilis J., tecum & ipſa crucifigor: *Amor meus crucifixus eſt*. (*Exod.* 4.) Verum cur nequeo deſcribere Magdalenæ ſollicitas curas, ut quærat J. Chriſti Corpus in monumento, & illius teneras turbas, cum illum non invenit: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* (*Cant.* 3.) Obvium quemlibet interrogat: ſed ubi invenit illum, cum omnium prima vidit Salvatorem ſuum glorioſe a mortuis redivivum, quænam fuit ejus lætitia, quinam gaudii impetus! Hæc accendit ignem amoris, qui fere extinctus erat in corde Apoſtolorum; hæc illis Salvatoris reſurrectionem annunciat. Itaque non ſolum illa Jeſum Chriſtum amavit, verum effecit, ut ab aliis quoque amaretur; neque dum viveret, quidquam ardentius optavit, quam Salvatoris amorem in omnium corde parere, atque poſt ipſam mortem etiam pœnitentiæ, & caritatis ejus exemplum ſollicitat, peccatores quidem, ut convertantur, juſtos vero ut majora in dies præbeant Salvatori amoris ſui documenta. *Ibidem.*

Poſt Salvatoris Aſcenſionẽ Magdalena ſeſe recepit in ſpecũ, ut pœnitentiam ſuam perſequeretur, ac reliquũ vitæ ſpatiũ in jugi divini amoris exercitatione traduceret.

Poſtquam Dei filius aſcendit in Cælum cum Magdalena eum ſequi non poſſet amplius, quid egit? receſſit in ſpecum, ut theatrum eſſet, & inſtrumentum extremæ pœnitentiæ ſuæ. Ibi enim ipſa ſeſe attollit in Cælum. Illuc deducta fuerat ab Angelo; ibi reliquum vitæ ſuæ ſpatium impendit ad peccata expianda, quæ ſibi jam fuerant dimiſſa, ut jugibus mortificationibus ſuis oſtenderet, quantopere & peccata ſua perhorreſceret, & ſuum Salvatorem diligeret. Tutelares rupis hujus Angeli, Spiritus lacrimarum illius teſtes, nobis quænam illius vita fuerit, quæ occupatio, narrate. Dicent illi profecto vitam Magdalenæ fuiſſe amoris ſui pœnitentiam, & vitam cordis ejuſdem fuiſſe jugem dolorem propter crimina jam deleta, ac aſſiduam geminationem ſuſpiriorum, lacrimarum pro Salvatoris amore effuſarum. Vixit illa in lacrimis, in lacrimis mortua eſt: hæc hæc vita fuit, hæc mors Magdalenæ. *Biroat.*

In hoc receſſu omnia illius vota, & cogitationes in cœlum tendebant, & cũ Angelis verſabatur.

Magdalena ſemper occupata commemorandis Salvatoris ſui beneficiis, ejuſque erga ſe miſericordia, & potiſſimum morte, cujus teſtis fuerat, manſit in beatæ hujus ſortis poſſeſſione, & melior hæc pars, quam ſibi elegerat, nequaquam ab ea fuit ablata, quemadmodum futurum eſſe illi Dei filius receperat; idque triginta, quibus ſuperſtes fuit, annos. Etenim poſtquam ille in cruce efflavit animam, ſervavit ipſa in corde ſuo dolorum ejus imaginem, quam ibi ſuus amor altius impreſſerat, ut eos ſingulis vitæ ſuæ momentis revocaret; & Dei amor, qui partem obtinet in criminum noſtrorum dolore, ibi aluit hunc contritionis ſpiritum, nunquam ab homine Chriſtiano relinquendum, non ſecus ac peccatorum ſuorum conſpectum, atque memoriam. His adde, cum Spiritus Sancti delapſus illam perfectius de divinis myſteriis edocuiſſet non ſecus ac Apoſtolos, alioſque diſcipulos, cumque etiam amorem hunc depuraſſet, indeſinenter novas in corde illius flammas excitabat; cumque propriis vidiſſet oculis ipſa Aſcenſionis Dominicæ die Salvatorem ſuum in Cælum aſcendentem, non poterat amplius ea, quæ in terra, & in mundo ſunt cogitare. Aſpectus, & vota illius inceſſanter erant converſa in locum, ubi erat unicum hoc ſuarum affectionum objectum; & inde cepit conſilium de alia quavis re non cogitandi; nam ſi quibuſdam Hiſtoricis habenda fides eſt, receſſit in horrentem ſolitudinem, & in ſpecum, ubi nonniſi amore Dei ſui vivere videbatur. Quis ſcire poſſet, quinam ejus fuere ſenſus, & ſuſpiria, quæ tanto temporis intervallo cor ejus in Cælum ejaculatum eſt? Hoc homines fugit; ſed ipſi conjectando arguamus, quænam eſſe debuerit hujus cordis cum divino objecto conjunctio, ut noctes, dieſque traduceret hac in re citra tædium, citra laſſitudinem, citra nauſeam. Quænam fuere cæleſtes deliciæ, quibus perfruebatur, cum illa ſibi omnia terræ hujus ſolatia interdixiſſet? Hinc traditio eſt,

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.

eſt, illam pluries in die ſublatam fuiſſe ad cælum uſque, ut angelorum conſuetudine perfrueretur, donec tandem cor ejus non valens ultra ferre hujus amoris impetum, ſancto aruit languore, & ſpiritus ejus ſurſum tendit, ut ſe cum ſuo Salvatore, quem ardentiſſime dilexerat, jungeret. Ita amor ejus victoriam de morte retulit; perſeveravit etiam poſt mortem, atque in omnem perſeverabit ætatem, ad probandum oraculum, quod de illa Salvator protulerat: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* (*Luc.* 10.) *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Vis quam habet humanus reſpectus in animo plerorumque mortalium magnus eſt virtutis inimicus: ut illâ ſuperemus Magdalenæ exemplo edocemur.

Quis neſcit quid valeat in corde adhuc nutanti, ac parum confirmato in ſervitute Dei, quid valeat, inquam, humanorum judiciorum timor, ſermonum, irriſionum cenſurarumque formido? Hoc vocatur humanus reſpectus, pietatis, & Religionis inimicus. Ex communi omnium ſententia magna mentis fortitudo requiritur ad grave prælium hoc ſuſtinendum, ad contemnenda ea, quæ de nobis dicere, & cogitare homines poſſunt, & videmus pleroſque eorum, qui ſe mancipant Deo gravi hac tentatione commoveri. Accidit etiam crebro, ut qui metu infamiæ a malo deterreri non potuerunt, non auſos fuiſſe operari bonum, præ timore, ne nomini ſuo obtrectaretur. Talis eſt hominum infirmitas hac in re. Proh noſtri ſæculi probrum! Salvianus exclamat; numquid Chriſtiana Religio facta eſt Salvatoris opprobrium, qui tantum abeſt, ut teſtes, & martyres inveniat, qui cauſſam ſuam tueantur, ne audent quidem palam fidem illius profiteri? Quanam vero fortitudine S. Magdalena magnum hunc obicem ſuperavit? Nonne jure S. Auguſtinus illam *Frontoſam ad ſalutem* appellavit, hoc eſt illam effrontem factam fuiſſe, ut quælibet hominum dicteria ipſi nullum ruborem ſuffunderent; illam hominum nequaquam extimuiſſe judicia, illam nullo in diſcrimine habuiſſe utrum apud eos bene audiret, an male; ſed oportuiſſe, ut magna illius caritas eſſet ad hoc, ut foras ejiceret timorem hunc, qui licet in ſe inanis, & ridiculus ſit, non ideo minus magnus eſt conſiliis melioribus obex. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ex Magdalenæ converſione deſumi poteſt occaſio contra humanos reſpectus invehendi; qui maximus eſt converſioni obex in plurimis.

Pudor magnus eſt obex, qui hodierna die plurimorum converſioni adverſatur, & non ſine admirabili rerum permutatione, ille, cui ſatis virium non fuit, ut prohiberet, ne quis omnibus ſeſe flagitiis ingurgitaret, nimis habet virium, ne ab illis recedat. Non puduit in ſceleribus vivere, vivere in mediocritate aurea pudet. Hoc olim ævi ſui peccatoribus exprobrat Tertullianus, qui in hac re nimis pavidi, & delicati: *Explicuiſti frontem ad delinquendum, & ad recte agendum contrahes.* (*Lib. 4. contra Marcio. c.*) Heu humana ratio, hominum timor, inanis reſpectus itane optima quælibet eludis conſilia, ac in irritum abire jubes quidquid ſanctiſſime inſtitutum eſt? Itane efficis, ut eorum, quæ bona ſunt nos pudeat? Videte mundanam hanc mulierem, cui ſatis virium fuit, ut conſanguineorum querimonias, & probra, publicos totius civitatis rumores, cui ſcandalum præbuit, Confeſſarii correctiones, frequentes ſtimulos ac latratus conſcientiæ ob affectiones, ob converſationes nimium liberas, ob oris habitum nimis feſtivum, ac hilarem ſuſtineret; ſed metuet illa ne quid de ſe dicatur, ſi vitæ rationem mutet, ſi verecundius ornata incedat, & pietatem colere videatur. Ita eſt, crudelis hic timor, & humanus reſpectus, ſoporem immittit ſtimulis conſcientiæ, omnibus Spiritus Sancti gratiis reſiſtit, vim facit optimis ſtudiis, quibus a natura largius donata fuerat, atque ut verbo me expediam, efficit, ut illam pudeat non eſſe impudentem. Heu! nos pudeat potius tandiu in ſceleribus fuiſſe verſatos, nimis ſero noſmet Deo devoviſſe, non ſatis cito illum amaſſe, neque ſatis fideliter illi famulatos fuiſſe. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Rigores Pœnitentiæ Magdalenæ, quos omnis peccator imitari debet ad reparandam injuriâ, quâ peccata ſua Domino intulerunt.

Pœnitentia reparatio eſt, vel ſatisfactio, quam peccator Deo offert, puniens in ſe injuriam, quam intulit illi, ſecundum eam notionem, quæ a S. Auguſtino traditur. *Et dolentis vindicta puniens in ſe, quod dolet admiſiſſe.* Senſum hunc Sancta Magdalena excepit; amor enim quo Deum proſecuta eſt, excivit in illa ſanctum odium in ſe ipſam, effecitque, ut ipſa propria expiaret peccata rigore earum auſteritatum, quæ pœnam, meritumque ſæviſſimorum etiam cruciatuum exæquarunt, ſi reſpexerimus cauſſam, propter quam illas ſubiit, & paſſionum illius diuturnitatem. Ex quo enim vidit Salvatorem ſuum animam in Cruce efflantem, in corde ſuo ſervavit imaginem dolorum ipſius; cœpit terram univerſam tanquam Calvarium, omneſque homines tanquam mortis ejuſdem auctores cogitare: Sed animadvertens peccata ſua mortis ejuſdem cauſſam fuiſſe, illa in proprio corpore punire voluit jejuniis, aliiſque rigoribus pœnitentiæ, quæ eumdem cum vita finem invenit. Receſſit in remotiſſimæ ſolitudinis horrorem, ubi Cælum habens pro teſte, Angelos pro ſociis, humum pro cubili, cilicium, capilloſque ſuos pro veſtibus, ſine ulla intermiſſione pœnitentiam ſuam ad obitum uſque perduxit. Omnia jam vanitatum, ſcelerumque ſuorum inſtrumenta pœnitentiæ devoverat, ſed modo eorum contrariis in ſe ſua perſequitur crimina. Heus tu ſolitudo, inquit, ulciſceris in me tot ſodalitatum ſcandalum, quibus olim oblectabar; ſilentium, reparabis in me tot parum pudicos ſermones, & inutilia colloquia; terra, quæ mihi pro lectulo futura es, expiabis tot delicias, quibus olim corpori meo blandita fui; cilicium, punies in me luxum, & indumentorum curam, quæ tandiu fuit mearum vanitatum objectum. Opus eſt, ut ſingula corporis mei membra ſingularem, propriumque habeant cruciatum, quoniam nullum eorum culpa vacat. Oculi igitur mei non ceſſabunt manare lacrimis; cor meum ſingultus emittere, ac temporum injuriæ cum amore meo conjurabunt, ut Deo ſatisfaciam, quem tot modis offendi. Hoc præbuit Magdalena perfectiſſimum, & abſolutiſſimum, quod uſpiam eſſe potuerit, pœnitentiæ exemplum, *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Pauci ſequuntur Magdalenæ pœnitentis exemplum, illius ante flagitia ſecuti.

Quot mortales hodierna die Magdalenam in criminibus imitantur, ſed quotuſquiſque illam ſequitur in pœnitentia? Hæc tamen unica via eſt, quæ nobis ſupereſt innocentiam, a nobis per ſcelus amiſſam reparandi, atque ſatisfaciendi Deo, toties a nobis laceſſito. Si hæc duo tantum verba rite aſſecuti fuiſſemus, Deum læſum: infinitam hanc Majeſtatem a miſerrimo terræ vermiculo offenſam. Heu! Deum læſum! Hæc fuit cauſſa, hoc initium converſionis Magdalenæ: ad hanc mentis cogitationem nunquam exhauriri deberent lacrimæ noſtræ, & cor ipſum præ dolore confringendum eſſet. Nobis adoptandi eſſent Sancti Auguſtini ſenſus: *Quid mihi reſtat, niſi flere, & dolere?* (*Lib. de vera, & falſa pœnitentia* 13.) Poſt tot in Deum infidelitates, quid reliquum nobis eſt, niſi ut lacrymis illas eluamus, & ſignificemus ſincerum dolorem, quem inde concipimus? Sed non decet ſterilem hunc eſſe dolorem, quoniam efficere debet, ut omnino relinquamus peccatum, quod deteſtamur, vitæ rationem mutemus vera converſione, quæ hoc nomine merito nuncupari poſſit, & quæ complectitur generalem reformationem votorum, actionum, habituum, ſolatiorum, ac tandem hominis totius; quippe ea omnia amare debemus, quæ horruimus, & horrere quæcumque amavimus, verbo, mores vitamque mutare. *Idem.*

PRO SANCTI JACOBI MAJORIS PANEGYRICO.

MONITUM.

Quamvis Evangelium nequaquam fuſiori enarratione S. Jacobi Apoſtoli virtutes, & prærogativas nobis exponat, ea tamen quæ dicit, ſatis amplam nobis rerum copiam ſuppeditant, ut prolixum laudum illius texere valeamus elogium. Ibi legimus vocationem ejus ad Apoſtolatum ab aliorum Apoſtolorum vocatione diſtinctam; ibi videmus ſigna, & effectus peculiaris Filii Dei erga illum benevolentiæ; ac tandem ejus mortem, atque Martyrium, cujus deſcriptionem Sacer Textus nobis proponit, ſatis ſolidum ſubſternunt fundamentum, ut panegyricam Orationem habere poſſimus.

Equidem ſcio gratias haſce illi eſſe cum S. Joanne communes, donec ſimul Magiſtro Dominoque ſuo ſervierunt; ſed cum illorum ſors, ac miniſterium in reliquum vitæ ipſorum ſpatium fuerit adeo diverſum, hoc prohibere non poteſt, quominus de S. Jacobo peculiarem Sermonem inſtituamus, poſtquam abunde ſuppeditavimus unde Sancti Joannis Panegyrica Oratio poſſit ornari.

Duo tantum nobis negotium faceſſunt. Primum eſt, pleroſque eorum, qui de magno hoc Apoſtolo verba fecerunt, nequaquam duos fratres ſecreviſſe, quaſi eorum meritum non eſſet ſingulare, & perſonale. Alterum, eos qui ſingillatim illius concinnarunt elogium, uni potiſſimum inhæſiſſe circumſtantiæ, quam maximi quidem fecerunt, quæ tamen omni caret probabilitate, videlicet utrumque proximos fuiſſe Salvatoris conſanguineos, quod ad S. Jacobum Minorem unice pertinet, quem S. Paulus fratrem Domini appellat. Itaque quin labanti fundamento innitamur, non exiguam comparavimus ſupellectilem, præſertim vero ex morum diſciplina, hujus argumenti propriam, ut ſupplere abunde valeamus iis, quæ ex Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum penu, deſiderantur.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Orationum hujus Argumenti ſtructura.

I. AD Magni Sancti Jacobi, quem Majorem vocamus, ne cum alio cognomine, qui fuit Jeroſolymitanus Antiſtes, & quem Sanctus Paulus Fratrem Domini appellat, confundamus, elogium texendum; ad illius inquam, qui in Evangelio Zebedæi filius appellatur, encomium celebrandum aſſero, Mundi Salvatorem ambitionem illi ſuperaſſe, eique majus contuliſſe donum eo, quo hic Apoſtolus per Matrem ſuam ab illo petierat. Propoſitionis hujus, quæ Magni hujus Apoſtoli encomium factura eſt, probatio innititur iis privilegiis, quæ Deus illi conceſſit iis in rebus, quas ipſi reſpicere conſuevimus tanquam magis glorioſas, & ad ambitionem noſtram ciendam magis appoſitas.

1. Illi tribuens peculiarem locum in Schola ſua, atque inter primos Diſcipulos ſuos referens, quod ſine dubitatione quoddam prælationis genus eſt inter reliquos.

2. Tribuens illi inter Apoſtolos inſignem, diſtinctumque locum, & illum eorum numero adſcribens, qui futuri erant Eccleſiæ columnæ.

3. Tribuens denique illi Majorem Calicis, cruciſque ſuæ partem, quam aliis pluribus, quam gratiam nonniſi ſibi amiciſſimis, ac primi Ordinis Sanctis largitus eſt. Ita peculiaris amor, quo Dei Filius S. Jacobum aliis longe plurimis prætulit; locus, & ordo, quem illi inter Apoſtolos ſuos contulit, inter primos ad Apoſtolatum illum evocans; pars, quam illum habere voluit ex Calice paſſionum ſuarum, tria ſunt beneficia, ac tres prærogativæ, quas non dubito tres vocare fontes gloriæ, qui illuſtrem hunc Apoſtolum altius evexerunt, quam ejus mater optaverat, & quam ipſe cupere auſus fuerat. Hæc erit laudum ejus, meique Sermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

II. In S. Jacobo conſideranda ſunt illius Vocatio, Miſſio, Martyrium, & ſecundum hæc tria poteſt oſtendi.

1. S. Jacobum in vocatione ſua perfectam præſetuliſſe obedientiam, relinquendo patrem, & matrem, omnem poſſidendi ſpem, nexus omnes, ac neceſſitudines, quas habere poterat in Mundo, ut Salvatorem ſequeretur.

2. Heroicam oſtendiſſe fortitudinem, ac zelum omni carentem fine, ſuſtinendo adverſa omnia, quæ ſibi a Judæis concivibus ſuis accidere poterant, cum ad eorum converſionem adlaborabat, & omnes itinerum labores, injurias, ac repulſas Ethnicorum, cum Hiſpanias peragrabat illis Evangelium nunciaturus.

3. Oſtendiſſe robur invictum calicem hauriens, quem ſe biblturum ſpoponderat Deo, cum invicta conſtantia ſubiit Martyrium.

III. Tria peculiaria in Sancto Jacobo Majori diſtingui poſſunt, cum aliis Apoſtolis nequaquam communia, & quæ præbere poſſunt panegyricæ orationis argumentum.

1. Quod a J. C. peculiare nomen receperit, cujus ſignificationem omnibus in circumſtantiis replevit.

2. Quod omnium Diſcipulorum primus extra Judæam J. Chriſti nomen prædicaverit hac mente, ut cognoſcendum traderet Dominum Ethnicis uſque ad extremos Europæ terminos.

3. Quod primus ex Apoſtolis martyrium pertulerit, quin aliud ob oculos haberet exemplum, quo confirmaretur, præter illud Sancti Stephani, qui ſolus illi præceſſerat.

IV. Mater S. Jacobi, vel potius ipſe Jacobus parentis ſuæ precibus ſibi, fratrique ſuo primos in Regno Salvatoris petiit recubitus: Sed cum illi Salvator reddidiſſet: *Poteſtiſne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* S. Jacobus reſpondit, *Poſſumus*, & verbo reſpondit effectus; quia neque vocationis paupertas, neque miſſionis difficultas, & labor, neque propriæ vitæ ſacrificium, & martyrii ſui rigor potuerunt unquam prohibere, ne exequeretur, quod ope gratiæ ſe facturum eſſe præſentiebat, & quod ipſum reipſa facturum eſſe Magiſter ſuus affirmaverat: *Calicem quidem meum bibetis*; quod opere implevit, nam.

1. Perfecta obedientia omnes vocationis ſuæ ærumnas paſſus eſt.

2. Infatigabili zelo omnes hauſit miſſionis ſuæ labores, & difficultates.

3. Invicta conſtantia de omnibus martyrii ſui cruciatibus triumphavit. *Deſumptum ex Elogiis hiſtoricis.*

V. Quidnam S. Jacobum unum ex iis reddiderit Apoſtolis, qui præ ceteris eminebant? Hoc, favor, quo Dominus illum dignatus eſt, pauciſſimis aliis conceſſus. Quippe Dei Filius nihil ſecretum concepit, quod huic non aperuerit: nihil magnum executus eſt, quod coram illo non fecerit; nihil triſte paſſus eſt, de quo illum participem eſſe noluerit. In Thabor didicit quidquid ab æterno præparatum a Deo fuit, ipſum fideliter in tempore diligentibus. In domo Principis Synagogæ vidit reſurrectionem filiæ hujus; & in Horto Olivarum mortalem Domini ſui agoniam videre non potuit quin miſceret lacrimas rivulis ſanguinis ex omnibus venis ejuſdem fluentis. Et ſi fas eſt de illius felicitate judicium ferre in cælo, ex favoribus, quos recepit in Eccleſia; citra aliorum Apoſtolorum injuriam, credere poſſumus.

1. Hunc non minorem habere partem gloriæ Magiſtri ſui in cælo, quam ſecretorum ejus habuerit in terra.

2. Non minus potentem eſſe in operibus in Regno Salvatoris, quam fuerit in terra per ea prodigia, quæ adjuvante gratia Filii Dei ibi operatus eſt.

3. Eo magis in gloria ſublimem, quo conſtantior ejus caritas fuit inter paſſiones, & in martyrio. *Ex P. Senault Oratorii Presbytero.*

Dei unius eſt dare *nomina plena*, quemadmodum a S. Baſilio appellantur; nomina operantia quod ſignificant, & replentia omnem ſenſus, quem continent, latitudinem; cujus rei in glorioſo Apoſtolo S. Jacobo habemus exemplum. Vix Jeſus Chriſtus illum tonitrui filium appellavit, cum illi omnes tribuit qualitates, quæ requirebantur, ut ille tanti nominis dignitatem ſuſtineret. Et ſane ex D. Thoma tria ſunt fulminum genera, quorum aliud penetrat, aliud agit, aliud emicat. Non operoſum eſt in S. Jacobi vita triplicem hanc cum fulmine ſimilitudinem invenire. Quippe. VI.

1. Primus eſt Apoſtolorum qui prædicationis ſuæ luce triumphum egerit de Idololatrarum pertinacia, atque Ethnicæ ſuperſtitionis tenebras penetraverit.

2. Primus omnium eſt, qui Martyrii ſui conſtantia fregerit Judæorum duritiem, & Synagogæ ſuperbiam contriverit.

3. Poſt mortem denique ex omnibus ſolus eſt, qui undequaque Chriſtianos ad ſuum tumulum pertrahens, ſeſe profeſſus fuerit viſibilem Eccleſiæ Patronum. *Ex ſpecimine Orationum panegyricarum.*

Veritas eſt Religione comperta, & explorata non aliam eſſe viam, qua in Cælum quis ingredi poſſit, quam paſſionum; Sed hanc Salvator non poterat divinius nobis oſtendere, quam ambitioſæ matris pro duobus filiis ſuis primos in Regno ſuo recubitus poſtulantis, reſpondens his verbis: *Poteſtis bibere calicem?* &c. Ad primas regni mei ſedes contenditis; ſed ſcitote neminem in cælo mecum regnare poſſe, niſi mecum in terra paſſus fuerit; & niſi & vos hauſeritis ex fæce illius calicis, quem ego ſum bibiturus. Unus ex his Diſcipulis erat S. Jacobus, qui cum fratre generoſe reſpondit: *Poſſumus*. Et profecto præſtitit fidem. Etenim. VII.

1. Non ſolum hauſit omnem hujus calicis amaritudinem, ut Salvator.

2. Bibit autem cum fortitudine, heroicaque conſtantia, ut divinus Magiſter.

3. Immo illum in anteceſſum potavit, & diu ante mortem ſuam, ut Dei Filius. *Ex eodem Specimine.*

Inſtitui poteſt ſatis amplum, & copioſum morum Diſciplinæ argumentum explicando, quomodo calix iſte, de quo Dei Filius ad S. Jacobum verba facit, ſunt tribulationes, quomodo S. Jacobus illum epotaverit conſtanter ſuſtinens Martyrium: quomodo tandem & ipſi illius participes eſſe debemus, eumque cum amore bibere, S. hujus Apoſtoli exemplo. VIII.

1. Dominus Noſter, omnia quæ accidebant recipiens tanquam a Patris ſui manu profecta Paſſionem ſuam Calicis nomine nuncupabat, & S. Jacobum interrogans, utrum ſecum bibiturus eſſet eumdem, illum invitabat, & cogebat fortiter æque, ac ſuaviter, ut ejuſdem particeps fieret. Quamobrem Apoſtolus noſter, qui adeo miſeram fecerat petitionem, locupletem reddit reſponſionem hoc verbo; *Poſſumus.*

2. Nemo unus ignorat, quod cum S. Jacobo cervices fuerint præciſæ, quemadmodum Acta teſtantur, illum æquo, lubentique animo, ut ſpoponderat, calicem epotaſſe; illum, a quo in carcerem conjectus fuerat, deoſculatum fuiſſe, eique benedixiſſe, ac impetraſſe gratiam una ſecum Martyrii ſuſtinendi; Sed calicis ſui majorem fuiſſe amaritudinem, quod unicum hominem hunc converterat, & præterea paucos, idque contra ardentiſſimum illius votum, quo totius mundi converſionem, & ſalutem optabat.

3. Ut participes eo modo fiamus Dominici calicis, nobiſmet ipſis fortiter perſuadere debemus, nihil adverſi contingere, quod Divina non accidat voluntate. Partem hanc noſtrarum tribulationum calicem eſſe, qui nobis cum actione gratiarum bibendus eſt juxta S. Jacobi exemplum: aliam quamlibet Crucem a nobis adoptatam vel parvi, vel nullius meriti prorſus futuram, habita comparatione illius, quam a nobis deferri vult Deus, ubi a liberali ejus manu illam recipiamus. Poſſumuſne rationabiliter id reſpuere, quod infinita Dei bonitas ſaluti noſtræ proprium eſſe arbitratur?

Secundum ea, quæ in Evangelio leguntur eo die, qui S. Jacobo ſacer eſt, animadvertere poſſumus, tres turpes, ac infames animi affectiones ciere in anima ambitionem; ideoque nihil in origine illius non vitioſum deprehendi. Prima eſt ignorantia, altera præſumptio, tertia invidia eſt. IX.

Prima nobis exprimitur per correptionem, qua Salvator utrumque fratrem increpuit prima in Regno ſuo ſibi depoſcentem ſubſellia: *Neſcitis, quid petatis*; Et ignorantia quæ illorum excitat ambitionem.

Altera indigitatur eo verbo, quod reddiderunt magiſtro interroganti, utrum bibere poſſent calicem, quem ille bibiturus erat. *Poſſumus*. Hæc illorum præſumptio eſt.

Tertia nobis ſignificatur oratione, qua ipſi cum matre Dei Filium deprecantur, ut cum aliorum Apoſtolorum injuria ſedeant, alter quidem ad dexteram, alter vero ad ſiniſtram in regno illius. *Dic ut duo filii mei ſedeant, unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Hæc eorum invidia, & æmulatio. Ex tribus hiſce partibus fieri poteſt Oratio Panegyrica morum præceptis affluens: *Ex Quadrageſima Formentieres.*

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.N.